

Benedic domine misericordia tua
in dñe terra tua aueris
gratē iacob. **Q**ui sedes
per cherubim erita p̄t̄mā tu
vem **A**men

intende qui seruus tuus utram
ioseph

via **S**ed vixit in iustitia
domini te a nobis fara te te
fam

ra plebis tu e **A**e p
comis. **G**loria dñi noster
xata dñi name
nā tu am et ve
uos fit a as nos. **B**enedic
dñi domine te cum tu am dñi
captivitatē iacob miseri
iquitatē ple **a** bis ate
illamoris obsecram et nolite
de esse deus noster regnū et c
bit uox fia q̄ta;

~~475. Gl. E.~~

2° WA 530 (2)

W

Stengel, Carol

Dpt. 2238



416 106 006 200 17



MONASTERIO. LOGIA.

In Quā

IN SIGNIVM ALI- QVOT MONASTERIORVM

Familia S. BENEDICTI in Austria, &
Germania Origines Fundatores, Clariq; Viri
ex eis oriundi describuntur, eorum
demq; Idæz æri incisa oculis
subiectiuntur.

A V C T O R E,
R. P. D. CAROLO STEN-
GELIO ABBATE ORD. S.
BENEDICTI.


PARS ALTERA.

Augustæ Vindelicorum, Typis An-
dreas Apergeri,

ANNO M. DC. XXXVIII.

DOCTRI-
NAM SAPI-
ENTIAE ET
DISCIPLINE
SCRIPSIT IN
CODICE SVO

RAMI
EIVS
HONO
RIS ET
GRA
TIA.



Mauha Kager Inv. Christopho Greitter Augustæ sculp.

CVm liber, Monasteriologia, dictus nec bonis moribus nec
fidei Catholicæ aduersetur, cum publicari permittimus,
Augustæ 2. Maij. Anno 1636.

Gasper Zeillerus SS. Theologiæ
Doctor, Vicarius Generalis Augustanus.

In laudem Auctoris.

CAROLVS STENGELIVS.

Anagramma.

VT SOL CLARENS VIGES.

Q Visis STENGE LI ne TE quæsiueris extra,
Nominis ecce tui sat metagramma notat.

Nempe Viges ut Sol clarens. Et nomina rebus.

Consona? Quis dignum hoc Nomine iactet Epo.

Non ego: ni cupiam tenebras offundere soli

Aut dare thyrsigero bacchica ferta DEO.

Nam sat habes fama per tot monumenta laborum

Queis solem soli reddis Apollino.

TV BENEDICTINÆ fulges decus omne Corone

Quæ viget Eoꝝ, Hesperiæq; plagis.

Illi⁹ antiquas TV nostras in sœclareduxti

Historias, terso pumice. Judicij.

Illi⁹ innumeri, TE promo ac vindice, sancti

Clarius in terris exeruere caput.


Arbitra Mnemosyne est: VIVAT STENGELIVS, inquit

Ipſe ſuæ famæ ventilet vſq; facem.

Vſq; solo ſol hic radiet, dum præmia Solis

Eterni capiat non peritura polo.

F. Antonius Sauther, SS. Theologiæ Doctor, Subprior
Cremifanensis fecit.



ANTONIO
ILLVSTRISSIMO S. R.
I. PRINCIPI, REVERENDISSI-
MO EPISCOPO VIENNENSI,
AMPLISSIMO ABBATI CHREMI-
PHANENSI, DOMINO IN BERNSTAIN, SHEREN-
STAIN, ET KREMSEGG, S. C. M. CONSILIA-
RIO INTIMO, &c.

REVERENDISSIME PRÆSVL, ILLVSTRIS-
SIME PRINCEPS.



RATIANIMI hominem, nullus omnino dolor acerbius currit,
quam beneficiorum magnitudini, pro voto respondere non posse. Quam
quam in hac (quam dico) molestia, illud tamen occurrit solatum; quid
nominum tot è beneficijs contractorum, tam lenta crasie, non mea, sed
temporum iniquitate contingat. Nempe ut singulari quodam splendore
ILLVSTRISSIMAM TVAM CELSITVDINEM colam, amor ac
obseruantia monent, sed imbecillitas & inopia vetant. Mihi quidem certè, incomparabile
beneficium istud etiamnum sedet altâ mente reposum, quo per integrum fermè trieteridem,
exili⁹ mei erumnas, munificentia Tua benignâ sustentatione leuauit. Quare irem nunc ego
buccinator in Laudes tuas, nisi modestiam potius Tuam, quam debitum meum intueri de-
ceret. Id enim prælustrium; hoc est, Tui similium animorum ingenium est, ut quem mo-
dum in laudabilibus rebus gerendis longè transcendunt, eum in suis tamen laudibus cele-
brandis requirant. Taceo igitur diversa COENOBLIA pristino à Te nitoris restituta, ut eorum
alter omnino CONDITOR dici merearis. Disimulo regalem ASCETERII TVI BASILI-
CAM, quam Tu ex LATERITIA planè reddidisti MARMOREAM. Prætero supre-
mam CAMERÆ CÆSAREÆ (cui sedulitate Tuâ, ad pristinos reditus, annuan DECIES
CENTENVM MILLIVM accessionem dedisti) præfecturam, à Te magnificentissimè,
imò sanctissimè gestam: solent enim viri DEO dicati, etiam profanissima quæq; negotia,
Virtutis ſuæ (ut ſic loquar) contactu caeleſtia quodammodo, Diuinisq; efficere. Sileo ad ma-
ximos Imperij Principes atq; Comitia, adeo præclare obitas LEGATIONES, ut ad hoc officij
genus, non tam ab AVGUSTISSIMO inter homines CAPITE quam ab ipso SACRATIS-
SIMO NUMINE videreris delectus. Omitto Episcopatum VIENNENSE miris à Te
prouentibus auctum & PALATIO quoq; Maiestate plenissimo exornatum: Episcopatum,
inquit cuius Tu commodis amplificandis, noctes diesq; incumbis: non enim hac Tibi parasti,
qui Magnitudinem Tuam non adib⁹ metiris, aut auro, sed rebus, nobilissimè iuxta ac
generofissimè gestis. Tranſeo pulcherrimarum Virtutum Tuarum lumina, quibus Tu alijs
ad excellentem recte viuendi normam, velutifacem pratulisti. Inter summos namq; nego-
tiorum

tiorum grauiissimorum (ut ita dicam) conflictus & turbas, tanquam in otio profundissimo, quotidianam DEO hostiam ferre; jejunia Ecclesiae legibus instituta, adeo rigide colere, velut inter assiduos & planè catenatos labores, laborem nullum sentires; Templis quoq; frequentandis indefessum semper existere, ut nempe per hæc cali vestibula in ipsum tandem cælum franciscaris ingressum; pompam deniq; Eucharisticam magnifico frequenter comitatu deducere, & ipsam Hierothecam manibus proprijs deferre; cum vtq; Principi etiam honorificum accedat, satellitem Numinis fieri: hæc inquam, & alia hoc genus complura (qua ipse præsens oculis assidue usurpani) eiusmodi profecto sunt, ut Epistolio breui, tanquam ILIAS nuce, comprehendendi non queant, sed etiam prolixiorum tractationem requirant. His igitur tantis Virtutibus Tuis: unaq; ingenti Tuorum in me beneficiorum cumulo, aliquid saltem honoris redhibitus (quanquam denuo exul, & omnium rerum egenus) offero ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINI TVÆ, hancce MONASTERIOLOGIAM, precipua AVSTRIÆ, & nonnulla superioris atq; inferioris GERMANIAE Monasteria Ordinis nostri continentem, gratissimum vtq; munus tam beneficio Religiosorum omnium Patrono: quanquam quid munus appello, quod debitum plane agnosco? Ingenui namq; animi esse, existimauis semper, ut cuius amplissimis in te meritis satisfacere nequeas, ei te plurimum tamen debere testeris. TVÆ autem ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS, ea in me beneficia extiterunt hactenus, ut omnem mihi spem pro dignitate respondendi præripiant, quanquam voluntatem non auferant. Hoc igitur, GRATI ANIMI, quasi praludium quoddam, anteire volui; ut tanti per saltem velle me constet, donec aliquando tandem possim, quod volo. Cuius quidem voti compotem me fore, fiducia mibi tanto nunc maior obicitur, quod medias inter erumnarum mearum tenebras, speratus mibi, imò expertus Beñignitatis Tue radius, tanquam noua lux quedam affulget. Ab ILLVSTRISSIMA namq; CELSITVDINE TVA clementer adiutus ex hac rerum domesticarum omnium strage, velut rediuius emergam: adeo ut hæc ipso, GRATVM ANIMVM cumulatiū demorandi facultas, à beneficio mibi Tuo expectanda veniat. Me igitur totum in ILLVSTRISSIMÆ CELSITVDINIS ac CLEMENTIAE TVAE gremium, velut salutare quoddam Asylum recondo. AVGUSTAE Vind. Cal. Maij. anni salutiferi partus CL. L. CXXXVIII.

Reuerendiss.^{ma} & Illustriss.^{ma} Cels. T.^o

humillimus Capellanus.

F. Carolus Abbas Anhusanus.

CHREMI PHANIVM.

Chremphanium Austriacum.



Vlgd CHREMS-MÜNSTER dictum, præcipuum omnium Austriae Superioris, seu Provinciæ supra Anassum dictæ, Monasterium, situm in territorio Trungoviensi (in Tratnviertel.) à præfluentे Chremsa nomen traxit. Ei condendo occasio-
nem præbuit lugubris casus, qui Principalem Boiorum domum funestauit.

Major filiorum THASSILONIS GVNTHERVS, Laureaco subbrum venatum egres-
sus, in rara magnitudinis aprum forte incidit propè fontem & piscinam, (quam hinc nomen traxisse aiunt, & jam egregie exornatam fontano opere, & fistulis plumbatis aquam copiosam occulte emittentibus artificiose decoratam aspicimus) Comitibus per siluam dilapsis, animum solitudine non despondens, venabulo obiecto, feram strenue excipit, & luculento vulnere conficit: ipse vicissim à dolore & furore percitat consuiciatur, ambo in eodem vestigio corrunt. Ibi canis latrantis indicio repertus, magna indolis adolescens, miseraudum suis in tam tristi exitu præbuit spectacu-
lum. Pater quantum maximum potuit sepulturæ honorem habuit, Templo cum Monasterio magnificentissime excitato, & amplissimis redditibus instruto. A. C. I. CCLXXVII. VDALRICVS Archiepiscopus Lau-
reacensis, VIRGILIVS Salisburgensis, & SIMPERTVS Ratisbonensis
Episcopi dedicarunt, A. C. I. CCLXXVIII. HADRIANVS Pontifex, AGAPITI Panestini Martyris corpus, Româ honoris caussâ dono misit. Veteres tabulæ dedicationem in annum THASSILONIS tricesimum, THEODONIS primum, indictione prima conferunt. Quo cum plerique Annales refelluntur, de superiori anno consentientes;

(ad 1)

A

appa-

CHREMIPHANIVM.

apparet, THEODONE M fratri morte non dubium heredem, mox à patre collegam, in partem dominatus ascitum esse. Sunt verò in antiquitatis memoriam injurij, qui leui suspicione nixi, quod diploma de Monasterij constitutione (istis orationem appellare placuit) GVNTHERI nomen non habet, id ex omni narratione expungendum contendunt.

Primus huius Monasterij Abbas institutus est FATERICVS, ex ALTA CHIO inferiore cum alijs Monachis à Fundatore huc accitus. CAROLVS M. Rex Francorum, postmodum etiam Imperator creatus, cùm fundationem jam pridem ratam habuisset, eandem rursum confirmavit A. C. I. CC. LXXXIX.

Floruit in hoc Monasterio plurimū Ordo Monasticus & sacra disciplina, vsque ad annum circiter CCID. postquam maximi tumultus bellici in his prouincijs extitē, præsertim Hungarī Bauariam, immō vniuersam ferè Germaniam aliquoties populantibus, Ecclesiā, Monasteria, ipsasq; ciuitates funditūs euertentibus. Tum enim accidit, quod Seniores huius loci tradidere, vt Quinquaginta eiusdem Monasterij personæ ab eisdem Hungarī trucidarentur, & CHREMIPHANENSE Asceterium ferè solo & quaeretur, certè rebus omnibus spoliaretur.

Caruit itaque Præsule, qui Abbatis nomine præcesset integro penè seculo, vel amplius, donec regnante S. HENRICO Imp. restitueretur, eidemque S. GOTTHARDVS, Altahensis, Hersfeldensis & Tegerensis (qui postea Hildesheimensis Episcopus extitit) Abbas præficeretur. Emergit tum aliquantulum, donec iterum perturbata essent tempora, & disciplina monastica cum rei domesticæ administratione vacillaret, ipsumq; Monasterium incendio deformaretur. Cùm igitur opus esset pastore sedulo, qui muros pariter & mores reformaret, DIETRICVS Monachus de Geize, (al. Götz vel Gortz) à B. ALTMANNO Episcopo huic præfectus est loco, A. C. CC. LXXX. Qui consuetudines Cluniacenses introduxit, Ecclesiam & cætera loca regularia instaurauit, & rem domesticam insigniter auxit, Temploq; (quæ est jam tertia Dedicatio) in honore SALVATORIS, & SS. AGAPITI & BLASII MM. consecrari fecit. Circa A. C. CC. CLIII. sub ALBERTO Abbe iterum ignis Monasterium deuastauit. ALRAMVS II. Capellam S. Egidij construxit A. C. CC. CLXX. Sub cuius successore VDALRICO III. Ecclesia tota penitus igne absumpta est. A. C. CC. CCIX. RVDOLPHVS Abbas construxit Capellam S. MARIAE V. quam EBERHARDVS Archiepiscopus consecravit: item Dormitorium, & duo latera ambitus.

Sub HENRICO II. Abbe circa A. C. CC. CCC. LXV. Quintum extitit incendium, ita vt præter Ecclesiam, duo dormitoria cum Capellâ B. MARIAE V. & ambitu fuerint concremata. Circa A. C. CC. CCC. XC. MARTINVS II. condidit Sacellum S. SIGISMUNDI, & vsum Mitempetrauit. Præclaris ædificijs Monasterium decorarunt, ERHARDVS Voit, IOANNES Spindler, ALEXANDER à Lacu: qui præterea magno Zelo cunctos suæ jurisdictioni subiectos populos statim sub initio regiminis sui ad ouile Catholice Ecclesiæ reduxit; & nomine summorum Principum grauissimis legationibus dextrè perfundens est.

Ceterū (citra inuidiam cuiusquam dicam) in ijs quæ vel pertinent ad spiritualem gubernationem, vel ad temporalium rerum administrationem, omnes antecessores suos (quorum aliqui in alterutro tantum genere claruerunt) multis parasangis superauit ANTONIVS V Volfradt, qui, vt cum Sapiente loquar, dedit in celebrationibus decus, & suffulsi domum DEI. Nam Conuentum ipsum religiosis doctisq; personis triplo audiorem reddidit, quæ inuenit, ordinatissimam diaconorum officiorum celebrandorum normam instituit, ac Templum ipsum (vti AVGVSTVS de Roma dicere solebat)

CHREMIPHANIVM.

Iebat) ex laterito marmoreum fecit, tredecim insignibus nouis aris exornando. Nouum cænaculum, ac insuper duo Dormitoria, infirmorum domum, cum Bibliotheca, maximâ librorum nouorum supellestile instruētissimâ, & alijs officiis à fundamentis construxit. Sacrum ipsum pretiosissimis (siue sacras vestes, aut vasa, seu S. Reliquiarum hierothecas species) ornamentiis affluerenter locupletauit. Ipsum Monasterium variorum reddituum accessione, & integrarum ditionum coëmptione insigniter auxit, inter quas præcipue sunt; BERENSTAINVM, SCHÆRENSTAINIVM, ac CHREMSEGGIVM. Ita jure optimo pro altero Fundatore à posteris haberi poterit.

Cùm præterea GLVNICENSE & SCHLIERPACENSE Monasteria, & re alieno nimium quantum grauata & ad institas ferè redacta, per suos aliquandiu administrasset, & re alieno soluto, posteriore etiam à fundamentis novo, vñā cum Ecclesiâ construō, in integrum restituit, ijsdemq; Abbates denuò præfecit. WELSI insuper pro Patribus Capuccinis Monasterium sub nomine S. BONAVENTVRÆ fundauit & ipsemet consecravit. A. C. CC. I. CC. XXXI.

Idem à FERDINANDO II. Imp. P. F. Viennam euocatus, ipsius Cameræ Aulicæ Præsidem integrosexennio egit; donec vacante per obitum Eminentissimi Card. CLESEL II Viennensis Episcopatu; ipse omnium bonorum gratulatione, eidem sufficiens, & S. R. I. Princeps declaratus est.

Porrò inter beatos & SS. huius loci recensentur: S. WISINTO Presbyter IV. Non. Decembr. ERCHENBERTVS, RAINBOTO, GERARDVS, DIETRICVS, ALRAMVS, & alij quæ plures. Nec prætereundi illi QVINQVAGINTA, qui irruentibus in Germaniam Hungarī ab ijsdem trucidati sunt, vt diximus.

Episcopi extitere.
S. GODEHARDVS ex VI. Abbe creatus est Episcopus Hildesheimensis, A. C. MXXII. MANEGOLDVS ex XXIII. Abbe creatus Episcopus Passauensis, A. C. CC. CC. VI.

ANTONIVS, ex Abbe LIII. Viennensis Pontifex & S. R. I. Princeps factus. A. C. CC. I. CC. XXXI.

Abbes ex eodem postulati.

CONRADVS VI. Abbas in Seittenstetten. A. C. CC. CC. I. V.
DIETMARVS XXI. Abbas ibidem. A. C. CC. CCC. XLVIII.
CHRISTOPHORVS Held XLII. Ab. ibid. A. C. CC. I. CC. LXXII.
PLACIDVS Bernhardt XLV. Abbas ibid. A. C. CC. I. CC. XXVII.
BENEDICTVS Schroffnagel Abbas Glanicensis. A. C. CC. CC. XXXI.
PHILIPPVS Nagel Abbas Lambacensis. A. C. CC. I. CC. XXXIV.

CATALOGVS ABBATVM CHREMIPHA- NENSIVM.

Numerus.	Nomina.	Anni Elect.	Anni regiminis.	Obitus.
1	Fatericus.	777	20	797
2	Wolframus.	797	30	828
3	Sighardus.	828	31	859
4	Burchardus.	860	27	887
5	Snelperto.	888	22	910
6	S. Godehardus.	1004	8	1037 5. Maij.
7	Sigmarus.	1012	28	1040 4 Septemb.
8	Gerhardus.	1040	9	1050 27. Ian.
9	Erchenbertus.	1050		24. Iunij.
10	Wolframus.			30. Septemb.
11	Pezelinus.			

Num- rus.	Nomina..	Anni Elect.	Anni re- giminis.	Obitus. Anni. Dies.
12	Hoholdus.			27. Iulij.
13	Berchtoldus.			14. Ian.
14	Dietericus.	1080	10	9. Decemb.
15	Alramus.	1090	31	11. Martij.
16	Hermannus.	1122	3	1125 31. Decemb.
17	Vdalricus. I.	1125	6	1131
18	Vdalricus. II.	1132	15	1147
19	Albertus.	1147	13	1160 29. Martij.
20	Martinus.	1160	5	1165
21	Alramus. II.	1165	8	5. Iulij.
22	Vdalricus. III.	1173	9	
23	Manegoldus.	1183	23	1215 11. Maij.
24	Chunradus.	1206	3	1209
25	Rudolphus.	1209	8	1217 3. Martij.
26	Bernardus de Ahleiten..	1217	13	1230
27	Henricus C. de Plain.	1230	17	1247
28	Ortholphus.	1247	9	28. Maij.
29	Berchtoldus. II.	1256	19	1275 19. Nou.
30	Fridericus de Aich.	1273	52	1325
31	Fridericus Rizendorfer.	1325	20	1346 11. Febr.
32	Christianus Otsdorfer.	1346	3	1349 19. Nou.
33	Ernestus Otsdorfer.	1349	11	1360
34	Conradus. II.	1360	2	1363 6. Iunij.
35	Henricus de Gruob.	1363		
36	Henricus de Sulzbach.			1376 17. Iulij.
37	Martinus B. de Polhaim.	1376	22	1399 6. Iulij.
38	Stephanus.	1399	5	1405 31. Ian.
39	Hermannus.	1405	14	1430
40	Iacobus Trentkouer.	1419	35	1454 23. Maij.
41	Vdalricus Schopperzan..	1454	30	1484 9. Iulij.
42	Benedictus Braun.	1484	4	1488 29. Iulij.
43	Wolfgangus Widman.	1488	12	1501
44	Georgius.	1501	4	1505 20. Martij.
45	Ioannes. I.	1505	19	1524 9. Decemb.
46	Leonardus.	1524	1	1526 6. Iunij.
47	Ioannes Habenzagl.	1526	17	1543 28. Septemb.
48	Gregorius Lechner.	1543	14	1558 26. Augusti.
49	Marcus Weinet.	1558	6	1565 21. Ian.
50	Iodocus Sedelmayr.	1568	3	1571 17. Iunij.
51	Erhardus Voit.	1571	16	1588 31. Martij.
52	Ioannes Spindler..	1589	11	1600 31. Maij.
53	Alexander à Lacu.	1600	12	1613 19. Maij.
54	Antonius Wolfardt.	1613		

MELLIGENSE.



MELLICVM inter omnia Inferioris *Austrie* Monasteria jam ab antiquis temporibus primatum tenet cum auctoritate, tum religione. Eius primordia referuntur ad L E O P O L D V M I. qui A. C. C. cI. XXVIII. Marchionatum *Austria* ab HENRICO Cæsare consequutus *Mellicensem* arcem HEMONI cognomento *Stilla* erexitam in templum mutauit, cui HENRICVS filius S. COLOMANNI corpus intulit. Porro ipse COLOMANNVS *Hibernie* Regum sanguis auitam propriamq; gentis sua pietatem amulatus purpuram centone mutauerat, vt Deo, ad cuius cunas properabat, similius iret, eiusque paupertatis vestigia confidentius adoraret. Ea gratia cum per Boicam & *Austriam* iter fecisset, & Stokeraniam non procul à Vienâ sitam appulisset, ignoti habitus vultusq; argumento pro exploratore captus questioniq; subiectus est. Cumq; omni tormentorum diritate laceratus nullam aliam vocem mitteret, quam exulem esse neque præter CHRISTVM toto orbe quidquam vel amare vel querere, fidem non fecit furentibus, aquisq; in arborem hoc quoque CHRISTI consequutus est, ut innocens moreretur & pendulus. Sed tristi fato subsecuta prodigia infamiam detraxerunt. Infelix & jam olim arida arbor subito resuscitata fronte sacrum caput in umbrauit. Corpus solis cæliq; injuriis expositum nectabo fluxit, nec villa mortem macula prodidit; sanguis quinimo recens ex incisi vulnera manans, & fruticans etiamnum pilus, protrusiq; vngues speciem spirantis viventisq; præbuere; quibus argumentis conuici etiam illi innocentem cælitemq; pronunciârunt, qui cum ad restum damnauerant. Neque dubitauit HENRICVS, quem diximus, detraçtas ex arbore immortales exuicias *Mellicensi* cœnobio inferre, & vt Diuum colere. Facta sunt hæc A. C. cI. XII. Insederant tum temporis hunc locum Canonici quos edidit

Num- rus.	Nomina.	Añi elect.	Añi regi.	Anni.	Obitus.	Dies.
35	Stephanus de Spanberg.	1451	2	1453		
36	Ioannes 4. Haushaimer.	1453	21	1474		
37	Ludouicus 3. Schanzt.	1474	6	1480	8. Septemb.	
38	Augustinus.	1480	3	1483		
39	Wolffgangus Schaffenrat.	1483	14	1497		
40	Ioannes 5. Cisterdorff.	1497	7	1504		
41	Sigismundus Grueber.	1504	25	1529	17. Nouemb.	
42	Wolffgangus 2. Lintzer.	1529	16			
43	Placidus.	1547	1	1548		
44	Ioannes 6. à Schönburg.	1549	2		fit Episc. Gurcenf.	
45	Innocentius Wunsamb.	1551	2	1554	15. Nouemb.	
46	Michaël Grüen..	1554	10	1564		
47	Urbanus Perndatz.	1564	23	1587		
48	Casparus Hoffman.	1587	36	1623	2. Martij.	
49	Reinerus à Landau.	1623	14	1637		
50	Valentinus.	1638				

CATALOGVS ABBATIVM
MELITIGENSIAM



GOTTWICENS E vulgo KÖTTWEIN.



STVM in Austria inferiore super editissimo & penè inaccesso monte, vnde à longè descendantibus in Danubio, vel trans flu- men ipsum ambulantibus clarissime spectari potest, ad confi- nes trīum ciuitatū *Mautern*, *Staina* & *Chremse*, quæ itidem perspicue inde cernuntur clarā die; nam nebulæ verno præ- sertim & autumnali tempore prospectum omnem eripiunt. Vnde & fontibus omnino caret, & cisternis pluiales tantùm excipiuntur aquæ. Cætera amoenissimum, & plane aspectu jucundissimum habet situm, attamen hortis caret omnino. Est cænobium inter illustres Provinciæ Status loci non mediocris, Iurisdictionis per ampla, maximè Ecclesiasticæ, cùm hodieq; viginti & duas ipsius Ecclesiæ Parochiales numerare liceat, quæ omnes (sicut & ipsum Monasterium) ab Episcopi Diœcesani obedi- entia exemptæ, immediate summo Pontifici sunt subiectæ. Habet duo insignia Dominia, *Rhana* inferius, & *Wolffstain* dicta; oppida quatuor; pagos quā plurimos; subditos vniuersim supra mille. Priilegia tām à Pontificibus quā ab Impp. & Regibus concessa, non pauca aut exigua. Edificari cœpit A. C. C. I. LXXII. consecratum verò est A. C. C. I. LXXXIII. postridie Natiuitatis B. M. A. & Virginis, cuius titulum etiam gerit.

Fundator eius fuit B. ALTMANNVS Episcopus Passauensis, quem etiam se futurum jam olim adolescens ipse mirabili quodam vaticinio præ- sagiebat. Perpetuæ Virginis Matris honori ea occasione dicatum est, quod Patronum loco quærenti ALTMANNO, forte fortuna eiusdem Diu- icon Greci operis oblata fuerat, Ducum Bohemi donum. ALTMANNVS. A. MXCI. in Zeislmürana villâ febre extictus VI. Id. Aug. THIEMO illum Salisburgensis inundatum lacrymis in Gottuicensi Monasterio sepeli- uis.

GOTTWICENS E vulgò KÖTTWEIN.

uit. Eius festivitas etiamnum est solemnissima *Gottwicensibus*. Corpus eius ex cryptā in ipsam Ecclesię *Gottwicensis*, vt vocant, Nauem translatum est die X VI. Iunij, vt patet ex peruetustis MSS. Anno Domini Millesimo trecentesimo in die S. QVIRINI Martyris tempore D. VL RICCI Abbatis *Gottwicensis* Serenissimus Princeps D. RVDOLPHVS Dux Austriae venit *Gottwicum* quarenis corpus Domini ALTMANNI, inuentumq; per D. VL RICVM Abbatem predicti Monasterij sub arā S. CRVCIS depositus, ubi usq; hodie in pace requiescit, Amen.

EPITAPHIVM EIVSDEM.

VENERARE. VIATOR. SACRA. OSSA. B. ALTMANNI. EPI-
SCOPI. PASSAV. HVIVSCE. MONASTERII. FVNDAOTORIS.
QVÆ RVDOLPHVS. AVSTRIÆ. DVX. HVC. TR ANSTVLIT.
ANNO. SALVTIS. MCCC. OBIIT. B. VIR. AN. XPI. MXCI. FVN-
DAVIT. MONASTERIVM. AN. MLXXIII. LAPIDEM. HVNC.
MEMORIÆ. ET PIETATIS. ERGO. POSVIT. GEORGIVS. FAL-
BIVS. ABBAS.

Vbi obiter notandum, videri manifestè erratum in annorum numero, cum ante annum C I O. CCCLX. nullus VL RIC VS Abbas præfuerit: addendi ergo erunt aliquot anni. Posthac VL RIC VS Pirchfeldt Abbas obtinuit primus ab VRBANO VI usum Mitræ. IOANNES IV. impetravit exemptionem Monasterij à BONIFACIO PAPA IX. Quam confirmarunt NICOLAVS V. & ALEXANDER VI.

Cæterū GOTTWICNSE asceterium institutis, ad normam *canonicorum* (quos *Regulares* vocant) primitū formatum paulò post, ALTMANNO de cælo hortante, in D. BENEDICTI leges jurauit. Iuuat rei seriem pauculis edifferere. *Gottwicensium* Collegarum virtus sub duobus Præpositis, quorum prior OTTHO; posterior CONRADVS diuīus est; quamdiu ALTMANNVS morum censuram gessit, eximia fuit; ignauo aut remisso, superflite illo, nemini esse licuit. Enim uero quod ferē ijs vsu uenit, quos non sua indoles, sed alienus oculus bonos facit, postquam seuerus arbiter morte extinguis est, suo obsecuti ingenio, habenas ab illo abducas noxiō pīj rigoris temperamento laxarunt, quiq; paulò antē etiam alijs disciplinæ fuerant, nunc sibimet noxæ suam lociq; gloriam obscurarunt: peregrini mores bonisq; contagione nocituri familiariter recepti: ita breui alia loco facies inducta, ad quam ALTMANNVS inuitus respiceret. Atque is deniq; ioannem virum insigni probitate *Scotum* gente, quem viuens, olim tuguriolo ad Sacram Ædem affixo receperat, ore voceq; quibus agnisci posset, monuit, purgaret infame stabulum & pristinum monti suo reddebet nitorem. Neque fecellit hominem minimè rudem talium arcanorum, quò illa verborum ambages tenderent; retulitq; extemplo ad Cænobitas de abstergendâ rubigine animorum, quæ D. ALTMANNI oculos omni oleo peius offendisset. Positum in eo non nihil operæ; sed mergente industriam magnitudine mali, illico de successu desperatum, optimumq; factu vilum, quando mores suos exscindere stirpitus non possent, sponte in exilium se se eijerent & darent melioribus locum. Id consilium vt deploratum & præcepis ioannes damnauit, illatā inuicem mentione permutandarum legum & vitæ ex præscripto D. BENEDICTI instituenda. Diuino instinctum spiritu ita ualisse felicitas euentus docuit. HARTMANVS è S. BLASII Cænobio accitus nouum jus nouosq; mores in montem inuexit. Placatum eo se studio ALTMANNVS luculentè prodidit multo deinceps præsenter tumulum suum venerantibus.

HARTMANVS sicutur, de Ducibus Carinthie ex Priore S. BLASII, fit primus Abbas auctoritate VRBANI II. & assensu VDALRICI Pas-
sauensis Episcopi A. C. C I O. XCIII.

Circa

GOTTWICENS E vulgò KÖTTWEIN.

Circa A. C. c I O. C. XIV. Sanctimonialis viuebat in *Gottwico*, clausurā à Monachis disiunctā, ab HARTMANNO Abbe, vt creditur, construā, WILVVIRGA (al. HELTOPIRGIS) LEOPOLDI sancti Mar-
chionis Austriae soror, BORIVOII Bohemorum Ducis quondam vxor; vbi & sepulta in Domino quiescit.

Post A. C. c I O. D. XX. & sequentes grauissima damna perpeccum est hoc Cænobium, multis etiam bonis omnino ab alienatis tempore belli Turcici. Ipsos tamen Turcas, qui Monasterium jamiam deprædati ascenderant, fertur MATTHIAS Abbas cum V. Eucharistie Sacramento obuiam egressus, mirabiliter fugasse, locumq; per hoc securum & saluum reddidisse. Porro LEOPOLDO Abbe A. C. c I O. DLVI. è viuis sublato, BARTHOLO-
MÆVS à Cataneis Præpositus Herzogburgenis Abbatiam administravit septem annis. Hic ipse anno c I O. I O. LVII. septem Moniales adhuc superstites (quod ali amplius in *Gottwico* non possent ob grauitatem alieni æris contra-
di) dimisit in Penuskreich, Monasterium Monialium; eoq; mortuo, illico de-
fecit cænobium *Gottwicense*, vt ad aduentum MICHAELIS sequentis Ab-
batis de Conuentu nullus plane fratrum superesset. Is igitur non sine pro-
digio in Abbatem assumptus est A. C. c I O. I O. LXIV. Nam, cum non inue-
niasset, quo domui consuleret; seu unde viueret, ad Parochiam, quam prius
curauerat, redire disposuit. Itaque montem jamiam desensurus, agrico-
lam quendam obuium habuit: qui rogatus de negotio, propter quod ascen-
deret, se debitum aliquot florenorum solutum venire asserebat. Quo latan-
ter recepto MICHAEL regere orsus, Monasterium suā industriā ita rele-
uauit, & locupletauit, vt eius secundus Fundator dici à Necrologio *Gottwici-*
ensi mereatur. Resignauit Iubilæus.

Magnificum ædificium Dormitorij, totiusq; Conuentus cæpit G. E-
ORGIVS Falbini SS. Theologiaz Doctor, magnus tūm Ordinis, tūm Reli-
gionis Catholicæ instaurator, summis Principibus maximoperè charus: id
nunc summo studio perficere conatur eius successor meritissimus DAVID
GREGORIVS Cornerus, itidem SS. Theologiaz Doctor, & in reformatio-
ne Austriae Superioris commissarius & Concionator egregius, vir verè Apo-
stolicus, humanitate, demissione animi, ceterisq; virtutibus religioso viro
dignis, nulli secundus, aliquot libris doctissimis in publicum editis clarus;
cui proinde Dominus Deus gratiam suam multis annis adaugeat.

Ex *Gottwico* accitus fuit primū WIRNT, qui cum aliquot Monachis
institutum Benedictinum in Garstense Cænobium introduxit, eosq; Prioris titu-
lo per septennium circiter rexit. Inde Formbacensis Abbas effectus locum re-
liquit S. BER TOLDO, qui Prioris officio pariter & armarij in S. BLASII
perfundus, tunc etiam sub HARTMANNO primo *Gottwicensi* Abbatē
Prior fuerat, & A. C. c I O. c x. primus Garstensem Abbas ordinatus est.

Item LEOPOLDV S I. Abbas Seidenstettensis, A. C. c I O. c xvi.
GEORGIVS Schedler Abbas in Maria Cellā A. C. c I O. I O. c.

1181	1182	1183
1184	1185	1186
1187	1188	1189
1181	1182	1183
1184	1185	1186
1187	1188	1189
1181	1182	1183
1184	1185	1186
1187	1188	1189

CATALOGVS ABBATVM GOTTWI.
CENSIVM.

Nu- mer.	Nomina.	Añi elect.	Añi regi.	Obitus ^o .	Dies.
1	Hartmannus.	1093	21	1114	
2	Nanzo.	1114	11	1125	
3	Chadelhohus.	1125	16	1141	
4	Gerhohusal. Bertoldus.	1141	9	1150	
5	Wernherus.	1150	5	1155	
6	Fridericus I.	1155	1	1156	
7	Ioannes I.	1156	18	1174	
8	Rudmarus.	1174	26	1200	
9	Conradus.	1200	11	1211	
10	Wezelinus.	1211	20	1231	
11	Henricus I.	1231			
12	Henricus II.	1232	5	1237	
13	Hartwicus.	1237	8	1245	
14	Henricus III.	1245	11		
15	Helmwicus.	1256	22	1278	
16	Ioannes II.	1278	1	1279	
17	Hermannus.	1279	7	1286	
18	Henricus IV.	1286	23	1309	
19	Petrus.	1309	8	1317	
20	Marquardus.	1317	6	1323	
21	Otto.	1323	12	1335	
22	Wulfingus.	1335	20	1355	
23	Dietricus.	1356	4	1359	
24	Ioannes 3. de Talem.	1359	1	1360	
25	Ioan. Vlricus.	1360	11	1371	
26	Vlricus Pirchfeldt.	1371	16	1387	Primus Insulatus.
27	Fridericus Techler.	1387	22		
28	Ioannes IV.	1399	4	1403	
29	Petrus II.	1403	29	1432	
30	Lucas de Stockstall.	1432	7	1439	
31	Thomas.	1439	5	1444	
32	Ioannes V.	1444		1444	
33	Wolffgangus de Rötz.	1444	14		
34	Martinus.	1458	3	1461	
35	Laurentius.	1461	21	1482	
36	Erhardus.	1482	7	1489	
37	Matthias Schadner.	1489	18	1507	11. Iulij.
38	Sebastianus Dräxl.	1507	9	1516	
39	Matthias II.	1516	16	1532	13. Octob.
40	Bartholomæus.	1532	9	1541	
41	Placidus.	1541	2	1543	
42	Leopoldus Rueber.	1543	13	1556	5. Augusti.
	Bartholomæus Præp. Herzburg. Administrator.	1556	7		
43	Michaël Herlich.	1564	40	1609	23. Martij.
44	Georgius Schedler.	1604	6	1610	8. Martij.
	Martinus Serarius Administrator.	1610	2	1629	12. Martij.
45	Georgius Falbius.	1612	19	1631	22. Maij.
46	David Gregorius Cornerus.	1631			

GARSTENSE vulgo STEYR-
GARSTEN.



Monasterium Garstense.
Agnificum ac perelegans nostre professionis
Monasterium, in superiore Austria ad dextrâ
Anasi, paululum supra Styrensem ciuitatem
(vbi Anasus & Styrus celebria Austria flumina
infra ipsam ciuitatem & arcem Styrensem con-
fluent) amoenissimo loco situm: fundatum
legitur ad honorem D.O.M. sub patrocinio
B. MARIÆ V. & SS. Apostolorum Principum PETRI &
PAVLIA. C. CL. LXXXII, à nobilissimo Duce & Marchi-
one Styensi OTACHERO (vocatur is ab antiquo Scriptore
cultor pacis, amator justitia, & contra immanitatem persecutionum turris Ec-
clesie inexpugnabilis) qui sacram ædem Garstensem ab Episcopo Tata-
uiensi permutatione quadam aut concambio, vt vocant, pro Ec-
clesia in Behamberg impetravit. Condidit verò primum cæno-
biolum pro Clericis, qui sub Præposito EBERRADO XX.
annis eundem locum tenuerunt. Mortuo verò Præposito, Cle-
ricisque repesentibus, Fundator Benedictinos substituere decre-
vit. Quare cum ad celebrandum anniversarium diem D. ELI-
SABETHÆ Marchionisse (quæ ad Septentrionalem Chori par-
tem in eleganti & insigni Mausoleo cum duobus filijs OTA-
CHERO

D

G A R S T E N S E vulgò **S T E Y R - G A R S T E N.**
C H E R O & L E O P O L D O condita jacet magna Clerico-
rum multitudo cōuenisset, ex eminenti loco ita eos affari jussit:
*Nosse vos volo, qui ad hunc anniversarium Dei & nostri causā venistis, quod
in hoc loco, quem in seruitum Domini & Sancta genitricis eius, pro salute meā
& dilectae conjugis erigendum suscepisti, statum Religionis, diuina largiente gra-
tiā, in melius transmutare dispositus: & per Monachos, quorum beata opinio vi-
talem circumquaque spirat odorem, huic nouella plantationi desiderati profectus
prouidere suffragium. Quapropter admonitos vos esse volo, ut ad hunc anni-
uersarium diem nequaquam ultrā congregari: Debet enim, si Domino placue-
rit, deinceps alio modo celebrari. Prorsus ergo ab hoc concursu amodò desistite:
quia Monachis, qui hic habitaturi sunt, talem nouimus consuetudinem non
conuenire.*

Itaque **G O T T W I C V M** profectus inde Priorem nomi-
ne **W I R N T** cum alijs Monachis secum in **G A R S T E N** per-
duxit. Postmodùm **W I R N T** ad *Formbacense* Monasterium
translato, **B E R C H T O L D V S** è celebri tunc remporis
(vtpote quod *Præfulibus* & *Monachis* contra *Schismaticos* tu-
tum perfugium præbere solebat) **S. B L A S I I** Monasterio, vbi
tunc armarij pariter & Prioris claustralii fungebatur officio asciti-
tus, & Abbas electus est **A. C. c I o. C. X.** Fuit vir literis, pietate,
innocentiā vitæ admirandus; & annis **X X X I I.** præfuit doctrinā
& exemplo ita laudabiter & piè, vt plurimis miraculis ante &
post mortem clarus Sanctorum albo ascribi meruerit. Obijt **A.**
C. c I o. C. X L I I. X X V I. Iulij. Eius verò festus dies postridie
(ob **D. A N N** Æ solennitatem) celeberrimo ritu & solennissimā
cæremoniā quotannis celebratur. Sepultus olim erat in media
Ecclesiā in sublimi tumulo, cuius circuitui inscripti fuerant hi
versiculi:

*P a s t o r p r æ d i g n e , P a t e r ò B E R T H O L D E b e n i g n e :
R i t e c u c u r r i s t i ; m u l t à m D o m i n o p l a c u i s t i :
T u p r o m i s s o r u m d e b e s m e m o r e f e s t u o r u m :
P r o t e g e &c. c æ t e r a l e g i n o n p o t u è r e .*

Nunc tumulus solo æquatus, eleganti porphyretico lapide
instratus, columellis inclusus, arā decoratus, ingenti Crucifixi
imagine pulcherrimo opere exornatus visitur.

Cæterū Fundator ad terram sanctam profectus, cùm inde
Romam venisset, ibi obijt, achumatus est. Habent præterea in
hoc cænobio celebrem sepulturam Barones (nunc Comites) à
Losenstam; & Nobiles Scheckij. Mitram & cætera Pontificalia or-
nementa primus impetravit **F R I D E R I C V S X X I X.** Abbas
A. C. c I o. C D. L I X. Elegantibus structuris præcipue Monaste-
rium exornarunt, **B E R T H O L D V S VI.** eiusq; Successores
B E N E D I C T V S, V D A L R I C V S. Quostamen omnes
multis

G A R S T E N S E vulgò **S T E Y R - G A R S T E N.**
multis parasangis superauit modernus **D. Abbas ANTONIVS**
S p i n d l e r, qui per vigintiannorum spatium totum Monasterium
ædificijs plurimis renouauit, picturis & emblematis pulcher-
rimis illustrauit; hortis amænissimis instruxit; imò Refectorium,
Dormitorium, cum illustri Templo & Campanili à fundamentis omnia
noua molitur, vt meritò Secundi Fundatoris nomen apud posteros
meritus sit. Et cum tam sedulus sit in muris erigendis, mores
interim nequaquam neglexit, quos ad *Benedictinam* normam e-
gregie correxit, ipsumque Conuentum viris doctrinā & pietate
præstantibus insigniter instaurauit. Sacram supellectilem mi-
rificè auxit; Diuina officia splendidè peragi procurauit; Chorum
omnigeno Musicorum genere laudabiliter instruxit; vt proinde
omnibus bonis amori & admirationi; discolis verò atque de-
generibus terrori sit atque abominationi. Cuius proinde votis
Deus annuere, eiq; Nestoreos annos adderet dignetur. Sicoro,
sic voueo.

Abbates ex eodem postulati.


- A L R A M V S II. XXI.** Abbas *Chremiphaniensis* **A. C. c I o. C L X V.**
V D A L R I C V S III. XXII. Abbas *Ibidem*. **A. C. c I o. C. L X X I I I.**
O R T O L P H V S XIV. Abbas *Melicensis*. **A. C. c I o. cc. L I I I.**
B E R C H T O L D V S II. Abbas *Chremiphaniensis*. **A. C. c I o. cc. L V I.**
I O A N N E S S P R A N G L E R XXXIII. Abbas *Lambacensis*. **A. C. c I o. D L I V.**
I O A N N E S S P I N D L E R L I I. Ab. *Chremiphaniensis*. **A. C. c I o. D. L X X X I X.**
A L E X A N D E R à L a c u L I I I. Abbas *Ibid.* **A. C. c I o. D C.**
I O A N N E S W I L H A L M Abbas *Glanicensis* **A. C. c I o. D C I I I.**
C A S P A R V S P L A V T I V S XLIV. Abbas *Seydenstettensis* **A. C. c I o. D C X.**
G E O R G I V S F A L B I V S XL V. Abbas *Gottwicensis* **A. C. c I o. D C. XII.**

SEYDENSTETTEN.

CATALOGVS ABBATVM GARSTEN.

S I V M.

Num erus.	Nomina.	Anni Elect.	Anni re giminis.	Obitus.
1	B. Bertholdus.	1110	32	1142 26. Iulij.
2	Bertholdus II. al. Arnalus.	1142	36	1178
3	Conradus. II.	1178	12	1190
4	Syrus.	1190	10	1200
5	Bertholdus III.	1200	3	1203
6	Conradus II.	1203	2	1205
7	Hadamarus.	1205	8	1213
8	Arnhalmus.	1213	4	1217
9	Renigbertus.	1217	12	1229
10	Bertholdus IV.	1229	5	1234
11	Vdalricus.	1234	6	1240
12	Bertholdus V.	1240	7	1247
13	Oytolphus.	1247	7	1254
14	Gerungus.	1254	4	1258
15	Vdalricus II.	1258	3	1261
16	Fridericus.	1261	21	1282
17	Marquardus.	1282	8	1290
18	Godescalcus.	1290	5	1295
19	Vdalricus III.	1295	12	1317
20	Otto.	1317	16	1333
21	Henricus.	1333	2	1335
22	Michaël.	1335	17	1352
23	Erhardus.	1352	13	1365
24	Nicolaus Venck.	1365	34	1399
25	Florianus Tanbeck.	1399	20	1425
26	Leonardus.	1419	15	1434
27	Thomas Kantschius.	1434	8	1466
28	Albertus.	1442	2	1444
29	Fridericus II.	1444	17	1461
30	Bertholdus V.	1461	12	1473
31	Benedictus.	1473	15	1488
32	Leonardus II.	1488	4	1493 12. Nou.
33	Georgius I.	1493	2	1495 13. Iunij.
34	Vdalricus III. Praunauer.	1495	29	1524
35	Pangratius Holzner.	1524	13	1537 28. Augusti.
36	Wolfgangus Granfues.	1537	22	1559 2. Iulij.
37	Antonius Brundorfer.	1559		
38	Georgius II.			
39	Ioannes Spindler.	1574	14	1600 31. Maij.
40	Martinus Alopitius.	1591	8	
41	Alexander à Lacu.	1600		1613 19. Maij.
42	Ioannes Guilemus.	1601	12	1613 9. Decemb.
43	Antonius Spindler.	1615		



Ræclarum Austriae inferioris Monasterium cuius fundatio in vetustis MSS. ita describitur. **V DALRICVS** al. **VDISCALCVS** ex illustri familia Comitum de Stillen & Hæste. Cum primò in Au-gia apud S. VITVM cœnobium Canonicorum Regularium construxisset A. C. M. CVII. sed videret eos minimè regulariter vivere, ipsi Monachos migras S. BENEDICTI substituit, tum maximè religione floentes in castro suo & loco Sytanstetten dico, ysg, prædia sua circa Vrlam fluvium, & apud Grunnenbach & Stille & Hæste potestatis manu omni jure aduocatorum sublato, attribuit. A. C. M. C. XVI. Ecclesiam dedicata ab VL RICO Episcopo Patauiensi veterino fratre fundatoris, in honore B. MARIE Virginis. Bandem Ecclesiam idem Episcopus egregie augmentauit. Nam Parochiam Aspach cum omnibus suis titularibus Ecclesiæ scilicet. Adihartsperg, & Piberbach & Chrenstetten & alys Capellis in eâ edificatis & adifi-candis. Et Ecclesiam in Waidhofen & in Holnstain cum omni jure sacerdotali & totâ in eis decimatione Cenobio S. MARIE in Sytanstetten donauit. Postmodum vero germanam memorati fundatoris scilicet S. V DALSCACID. HELENAM contigit viduari Nobili viro LANTZONE. Habuerat autem eam XI. Septimanis, nam is apud S. Hippolytum occisus absq; hærede decepsit. Sed tamen primitus predium suum apud Zelckinge & Lantzendorff ita conjugisue D. HELENÆ tradiderat, ut post mortem amborum Sytanstetehsi Cenobio proprietas cederet omni jure aduocatiæ se-moto. Dominum vero HELENAM post hec REMBERTVS vir nobilis Comes de Hagnovve & de Hayde duxit in uxorem, & ex eâ liberos scilicet D. REMBER-TV M postea Patauiensem Episcopum, & HARTWICVM & S. RICHARDIM procreauit. REMBERTVS vero filius Domini REMBERTI & Domine HELE-NÆ in liberalibus scientijs sufficienter eruditus, factus est Propositus in S. HIPPOLY-TO, & deinde in Episcopum Patauiensem est assumptus. Qui Ecclesiam Sytanstetensem quam plurimum dilexit; tum quia à suo nuncencio scilicet S. V DALSCALCO est fonda-tum

SEYDENSTETTEN.

ea: tum etiam quia in Religione erat præfulgida & famosa. Ingruente autem quadam necessitate, quā Romam ire proponebat, cum ad sumptus itineris pecunia defasset, predium Ecclesia Sytanstetensis ad Pfaffensteten de consensu Abbatis FRIDERICI & Conventus nobilibus de Aminsuach vendidit, pecunia sibi tamen reseruata. Sed pro recompensatione præfati prædij scilicet Ecclesiam in Wolffspach cum suis titularibus Ecclesiis & in loco scilicet Sytanstetensi & Ecclesiam S. MICHAELIS & decimationes in Sunelurch cum ipsa curte Monasterio Sytanstetensi tradidit Canonice, & príuilegio suo atque Capituli Ecclesia Patauiensis, confirmavit.

HELISE A fundatoris Mater cū familiari HERLVCÆ religiosissimæ Virginis vñ ad omnem sanctitatem profecisset, congruentie in vita innocenter ac clausulam imposuit, cū inter beatos Genios expassis in Crucis formam brachijs orantem mors non oppressit, sed sopiuit: eoq; habitu repartam familiares diu, non ausæ sunt contingere velut spirantem, raptamque extra se, moxq; reddituram. Ita PAVLVM Thebaum, si non vita, mortis tamen genere æquauit.

Porro ipse fundator S. VDALSCALCVS attractus bono odore sanctæ religiosorum conuersationis, militiæ cingulo deposito cappâ humili indutus Deo seruiebat in paupertate voluntaria, obedientiâ promptâ, & castitate perfectâ. Hoc etiam odore tractus fuit D. REMBERTVS de Hagenoune vir illustris Maritus D. HELENAE sororis S. VDALSCALCI fundatoris, post multa probitatis & victoriarum de hostibus suis insignia seculo nequam cum uxore scilicet D. HELENA & filiâ RICHARDE Virgine renunciauit, & Monachatum apud Sytansteten induitus cum eis, quas prædiximus, religiosam deinceps inibi duxit vitam.

Primus Abbas ab VDALRICO Patauiensi Episcopo & VDALSCALCO Fundatore, permisso Abbatis NANZONIS institutus est LEOPOLDVS Monachus Gottwicensis vita religiosa præclarus, qui gregem sibi creditum X I V, annis in Religione sollerter enutriuit. Inter ceteros Monasterio benè præfuerunt & profuerunt FRIDERICVS III. in ordine Abbatum, qui vineas & prædia in diuersis locis Ecclesiæ comparauit. Item CONRADVS hoc nomine primus, vitam vitæ merito, quam scientiæ doctrinâ plurimum commendatus: qui prædiorum coëmptionibus possessiones Monasterij non minimum augmentauit. Nam apud Tulbingen pro centum libris ferè X X jugera vinearum comparauit. Apud Lanzendorff verò L III. Libras pro vineis & alijs impendit. Eius tempore S. WICHMANNVS Magdeburgensis Archiepiscopus (frater fundatoris) prædium in Ibsitz cum omnibus juribus sibi pertinentibus, vtpote venatione, pescatione, mineris ferri, & coctura salis cum omnibus utilitatibus inuentis & inueniendis liberè sine judicium vexatione cum omni jure parochiali & Decimis Ecclesiæ S. MARIÆ donauit, & totum homagium suum, quod per totam Austria habuit, cum regalium infeudatione in usus Ecclesiæ conuertit ob reuerentiam Virginis gloriose, & hanc donationem in curia Imp. FRIDERICI celebrata in Nürnberg, de consensu Principum cum Priuilegijs Imperialibus confirmauit. In quo prædio prædictus Abbas CHVNRADVS pro C. & LXXXIV. libris diuersas possessiones comparauit.

RVDOLPHVS Abbas XIV. ædificium Chori inchoauit, quod Successor CONRADVS vna cum turri consummauit; insuper partem absidum & parietum Ecclesiæ erexit. Multa obligata redemit, & moriens plusquam mille & quingentas libras Viennensem reliquit in paratâ pecuniâ. GVNDACHERVS verò XVIII. prædia juxta Ibsitz sita, cum duorum decimâ prædiorum ab Ecclesiæ Vasallis quibus erant infeudata exemit. DIETRICVS IL prædiain superiori Prochling à Patauiensi Episcopo Monasterio comparauit. DIETHMARVS itidem II. agros cum areis & pratis juxta Capellam S. VITI in Augen, titulo feudal olim alienatas, emptionis titulo recuperauit.

SEYDENSTETTEN.

cuperauit. Item in VVintdorff domum lapideam cum quibusdam juribus ciuibus, & omnibus pertinentijs à nobilibus comparauit.

Eius tempore graue extitit incendium, ita vt teq; Monasterij & turris, ipsæq; campanæ, ac cætera claustræ ædificia penitus ab igne consumerentur. Quæ postea ENGELSCALCVS Abbas ferè omnia instaurauit. Cuius etiam temporibus curia VVagenhof, & curia in Grillnperg emptionis titulo ad Monasterium sunt deuolutæ. Domum item in VVachau coëmit. Item vineas Iudenperg & Redra dictas. IOANNES Irrnfrid construxit Basilicam super Chorum abique altaribus & pavimento. Eiusdem successor BENEDICTVS cōstruxit duas piscinas circa Monasterium. Item Capellam in monte SALVATORIS. CHRISTIANVS Kolb ambitum testudine exornauit. CHILIANVS Heuumader impetravit Ius Fori in Sytansteten & Ibbitz. Idem fabricari fecit Organum, & Ciborum pro afferuacione V. S. Item turrim cum nouâ portâ, & murum ab ipso Cæmiterio vsque ad infirmariam. Fecit itidem nouas in Choro sedes. Construxit Capellam in ambitu in honore SS. Martirum CHILIANI Episcopi, & MARGARITÆ Virginis. Bibliothecam insuper plurimis libris nouiter impressis instruxit. Eadem successit ANDREAS, qui ædificia plura crexit, non pauca instaurauit. Itinere Romam suscepto, à S. P. Mitræ vsum primus impetravit. Similiter HENRICVS Sueß, Chorum in altiora sublimauit, & complura ædificia instaurauit. BERNARDVS Schilling copulam turris Ecclesiæ cum horologio extruxit, Organum renouauit, & atria complura propè Abbatiam ædificauit; prouentus Monasterij auxit, & in meliorem ordinem redigit. CASPARVS Plautius Capellam SS. TRINITATIS in monte Sontagberg dicto, mirifice exornauit, sacram supellecilem vbiique adauxit, disciplinam regularem restituit. Antecessoribus suis nequaquam inferior, sed multum etiam superior videtur. PLACIDVS Bernardt ex Priore Chremiphanensis Archisterij Abbas Seidenstettensis institutus Ecclesiam ipsam insigniter reformatu, Exedram superiore in medio ferè sitam, quæ prospectum Altaris primarij præpediebat, ad posteriorē templi partem commodissime transtulit; duo Sacella ex vtroque latere Chori, sublimauit, pulchrâ & orbiculari concameratione ac testudine conclusit, aris insignibus, præsertim Primariâ (quam magnis sumptibus Passatio fieri curauit) exornauit. Capitulum, Dormitorium, Bibliothecam, Refectorium, noua construxit, omniq; necessariâ supellecile sufficienter instruxit. Omnia Religiosorū habitacula (quæ à cælando Cellæ vocantur) cum ipso Dormitorio ac Bibliotheca è dicto latere concamerari fecit. Villam insuper à fundamentis nouam, fornicibus concameratis amplissimis substructam magnifice excitauit; hortumq; elegantissimum juxta conseuit. Sacrarium pariter nouam sacris ornatis, reliquaque sacrâ supellecile omniuariâ splendidè decorauit.

Dominus Deus illi longæuam vitam, plurimosq; adhuc annos largiatur, vt plura egregia opera addere, & inclito suo Cænobio diu præesse, plurimumq; prodesse possit.

Abbates ex eodem creati.

CHVNRADVS XXIV. Abbas Chremiphanensis. A. C. M. CC. VI.

DIETRICVS XII. Abbas Melicensis. A. C. M. CC. XLVII.

VRBANVS Berndaz XLVII. Abbas Melicensis A. C. M. DLXIV.

IOANNES Lust Abbas Glanicensis A. C. M. D. XL.

MICHAEL Raab Abbas ibidem A. C. M. D. LXXXVIII.

GLVNICENSE.

Monasterium Glunicense. 1634.



CATALOGVS ABBATVM SEIDENSTET- TENSIVM.

Num- erus.	Nomina.	Anni Elect.	Anni re- giminis.	Obitus.
				Anni. Dies.
1	Leopoldus ^r .	1116	24	1140
2	Sifridus.	1140	2	
3	Fridericus.	1143	27	1170
4	Grifro.	1170	5	1175
5	Conradus I.	1175	29	1204
6	Conradus II.	1204	2	1206
7	Marquardus.	1206	7	1213
8	Dietmarus I.	1213	11	1225
9	Conradus III.	1225	7	1232
10	Otho I.	1232	8	1240
11	Dietericus I.	1240	9	1249
12	Henricus I.	1249	3	1252
13	Hermannus ^r .	1252	10	1263
14	Rudolphus I.	1263	29	1292
15	Conradus IV.	1292	16	1308
16	Otto II.	1308	4	1312
17	Henricus II.	1312	7	1319
18	Gundacherus ^r .	1319	11	1330
19	Otakcherus Stiller.	1330	10	1340
20	Dietericus II. Perleitter.	1340	8	1348
21	Diethmarus II.	1348	12	1360
22	Erckfridus Schirmer.	1360	1	1361
23	Rudolphus II.	1361	3	
24	Engelcalcus.	1364	21	1385 13. Maij.
25	Laurentius Meilensdorfer.	1385	34	1419 1. Septemb.
26	Stephanus ^r .	1419	4	1423 26. Decemb.
27	Thomas Chersperger.	1424	4	1428
28	Ioannes Irnfrid.	1428	9	1443 13. Martij.
29	Benedictus ^r .	1437	4	1441 21. Septemb.
30	Christianus Kolb.	1441	25	1467 19. Maij.
31	Paulus Pimissler.	1467	10	1477 26. Decemb.
32	Chiliatus Heumader.	1477	23	1501 17. Aprilis.
33	Andreas ^r .	1501	20	1521 19. Octob.
34	Henricus III. Sues.	1521	11	1532 1. Nouemb.
35	Ioannes II. Eibain..	1532	15	1547
36	Ioannes III. Wolspecker.	1547	1	
37	Gregorius Danhamer.	1548	4	1552
38	Georgius Ramsaur.	1552	12	1565
39	Elias ^r .	1565	3	
40	Domitianus.	1568	2	1570
41	Michaël.	1570	2	
42	Christophorus Held.	1572	30	1602 2. Aprilis.
43	Bernardus Schilling.	1602	8	1610 20. Aprilis.
44	Casparus Plautius.	1610	16	1627 18. Februarij.
45	Placidus Bernardt.	1627		

Vulgò Glunick cœpit construi in honorem B. MARIAE Virginis A. C. M. C. XXIII. à BRVNONE nobili de Glunick: Qui eadem fundationem dedit OTTONI Episcopo Bambergensi. De codem pauca habentur annotata in scriptis. Nomina primorum Abbatum omnino desiderantur: posteriorum nudaferè extant nominati sequuntur..

1	Vdalricus I. Winterholzer.	1210
2	Osso.	1284
3	Seichardus.	1314
4	Petrus ^r .	1321
5	Vdalricus ^r . II.	1397
6	Martinus. I.	1447
7	Wolfgangus ^r .	1448
8	Martinus II.	1468
9	Wolfgangus II.	1478
10	Ioannes I.	1480
11	Fridericus ^r .	
12	Vdalricus III.	1497
13	Benedictus I.	1501
14	Gregorius ^r .	1519
15	Thomas ^r .	1524
16	Ioannes II. Lehner.	1536
17	Ioannes III. Lüst.	1540
18	Elias.	1548
19	Gregorius II. Lochner.	1550

G L V N I C E N S E.

20	Michaël Guegfelder.	1564
21	Abraham Hágel.	1569
22	Gregorius III. Andreas.	1577
23	Michaël II. Raab.	1588
24	Ioannes IV. Wilhalmb.	1603
25	Caspar Plautius.	1605
26	Valentinus.	1610
27	Maximilianus.	1612
28	Benedictus fit Administrator	1623
	Abbas.	1631

Cui Dominus Deus plurimos annos addat.

Describendum etiam fuerat perillustre L A M B A C E N S E Monasterium: sed extat jam in primâ parte nostrâ Monasteriologiæ, vbi illud studiosus Lector inueniet.

Eidem nunc præest R^mus: & Amplissimus Dominus, D. PHILIPPVS Nagel SS. Theologiæ Doctor, S. C. M. Consiliarius Chremiphano huc postulatus: cuius solenni inaugurationi V. Iulij. A. C. M. DC. XXXIV. adstiti indignus licet cum R^{mo}: Domino D. M A V R O Abbe Manseensi.

Cui proinde multos annos, & omnia fausta ac felicia apprecio. Haec enim de Monasterijs in Austria sitis: sequuntur nunc alia quædam celebria in Germaniâ utraque hinc inde constituta.



I S P E T R I E R P H O R D I A . A . 2



RECALE MONASTERIUM ERPHORDIENSE

Egale Monasterium SS. PETRI & PAULI Apostolorum situm in Thuringiâ in celeberrimâ ciuitate Erphordenâ mons editus ostendit. Fundatum fuit ducentis ferè annis post Ordinis S. BENEDICTI initium; illudq; construxit ac fundauit DAGOBERTVS Francorum Rex HILDEBERTI Regis filius A. C. I. CCVII. dum viuente & in Gallia regnante parente regnaret in Thuringiâ, Franciâ orientali & Hassiâ. Annô autem Domini M. LIX. SIFFRIDVS Archiepiscopus Moguntinus, prius Abbas Fuldensis Canonicis qui aliquandiu locum hunc occupauerant, expulsis; disciplinam Monasticam, quæ ante viguerat, instaurauit, & Monasterium hoc Ordini D. BENEDICTI testituit. Dum verò paucis post annis ædificia huius Monasterij antiqua partim flamnis consumpta fuissent, partim ob structuræ vetustatem corruissent, BVRCHARDVS Abbas A. C. M. C. I. I. & annis aliquot sequentibus nouum ex fundamentis construxit monasterium.

In hoc Monasterio à tempore fundationis plurimi sanctitate & doctrinâ insignes viri claruerunt; Inter eos fuit RVTHARDVS huius Ecclesiæ Abbas, posteà Moguntina sedis XXIV. Archiepiscopus, Elector verò VIII. Creatus A. C. M. LXXXVIII. ex hac vitâ decessit A. C. M. CIX.

Quod ad Monasterij structuram attinet, sciendum exterius exiguum esse apparentiam, ac præter templum, dum mons concendetur nihil apparere; interius autem ubique esse ornatum, & ædificijs & picturis.

Structure sunt tales.

- A Est maior Ecclesia.
- B Duæ turre in extremitate Chori.
- C Chorus, qui Reliquijs Sanctorum, picturis, & candelabris bene est ornatus.
- D Sacellum S. Anna sepulturæ Fratrum deputatum.
- E Sacellum Corporis Christi in cæmeterio collocatum, censetur primum Thuringie templum.
- F Atrium templi: vulgo das Paradeiss.
- G Via quæ dicit ad portam Monasterij.
- H Diuersa ædificia; Vulgo der grüne Hagen.
- I Templum S. Leonardi, quondam Parochia in descensu montis.
- K Domus pro pauperibus consanguineis Fratrum.
- L Hospitium Comitum à Schwarzburg.

S. PANTALEONIS COLONIÆ.

Cclesia sub Patrocinio S. PANTALEONIS Martyris situ elegantissimo, sicut ampla, ita & magnifica arcis instar, muro circumdata, in colle posita extitit quidem jam sub LUDOVICO I. Imp. & LOTHARIO eius filio; sed pro Abbatia fundata est A. C. CM. LXIV. à BRVNONE Archiepiscopo *Colonensi* XXV. OTTONIS Imp. I. cognomento *Magni germano* fratre. Is Fratres in laude diuinâ peruigiles & sollicitos sub Monasticæ Regulâ disciplinæ Domino seruire instituit; quibus Abbatem præposuit CHRISTIANVM nomine, suæ videlicet professionis Phoronum, & in lege Domini, vti hunc ordinem decuit ad primè eruditum. Cui ordinato hoc breue commonitorum de Occidentis partibus scripsit. *Vt sis, quod vocari cura. Gentilitati ne degeneres, id serio triumpha. Ut non, sicut prius, antiquetur, sed de virtute in virtutem ut eatur, nana.* Obiit vero Rhemis, cùm annis XII. præfuisset A. C. CMLXV. V. Id. Octobr. Cuius corpus *Coloniam* delatum, in Cenobio D. PANTALEONIS, quod ipse inchoauerat, perficiendumq; ordinauerat, conditum est.

Dotatum est hoc Cenobium munifice à THEOPHANIA OTTONIS II. coniuge, quæ S. ALBANI corpus A. C. CMXCI. Româ *Coloniam* transfrrens, huic loco donauit; cuius caput cum carne & sanguine, ad præsentem vsq; diem ita integrum conspicitur, ac si non ita pridem carnificis gladio amputatum esset. Ipsa vero THEOPHANIA sepulturæ locum accepit, in facello dexteri lateris iuxta chorum.

In eâdem Ecclesiâ requiescit corpus S. MAVRINI Abbatis & Martyris die IV. Idus Junij A. C. DCLXX. ibidem in atrio passi, cuius sepulchrum vsq; ad annum CMLXVI. latitauit.

Ibidem habetur caput S. PANTALEONIS Martyris: item pars capitis S. QVIRINI Tribuni, cuius corpus *Nouesi* requiescit. Item brachium S. BARTHOLOMÆI Apostoli.

In hoc Monasterio etiam necem passus est S. REINOLDVS Martyr, qui cùm opificibus & fabris murarijs in strukturâ huius templi esset præfatus, & Mechanicos segniores ad labores vrsisset, offensas eorum incurrens, ab ijsdem infossam vrbis aquarum occulte præcipitatus, miraculosè innoutuit. Nam cùm cæca quædam ibidem se casu lauisset, subito recuperato visu, corpus sancti viri aquæ supernatare vidit. Fuit ex familiâ CAROLI Magni, miles primò, post Ordinis S. BENEDICTI Monachus, cuius corpus à S. ANNONE Tramontum translatum fuit.

Ibidem quoq; sepulta iacet MATHILDIS OTTONIS I. Mater, humilitatis & patientiæ speculum, quæ quotidie integrum Psalterium ante Matutinas preces legere consuevit. Habuit hoc Cenobium complures doctrinâ & pietate illustres viros, inter quos præcipui extitere.

CHRISTIANVS primus Abbas, qui cùm XXXVI. annis præfuisset, obiit A. C. CLO. XII. Kal. Aprilis. Extat Epistola BENEDICTI VII. Rom. Pont. ad eundem, quâ Priuilegia Monasterio concessa per D. BRVNONEM corroborauit, & ob amorem Imp. OTTONIS II. ac THEOPHANIE Imperatricis petitionem nec non propter GVVARINI Archiepiscopi iucunditatem addidit honorem non ante concessum, quo videlicet supradictus Abbas *Dalmatiam & Sandalia induat, sicq; suâ licentia Episcopalem seruet honorem in secula seculorum.* Præ ceteris etiam celebris fuit HELIAS V. Abbas, qui simul etiam Monasterio D. MARTINI *Colonia* præfuit annis XXIII. Vincentius in Speculo Historial p. 4. l. 26. c. 14. annumerat eundem inter insignes vitâ & scientiâ Abbates illius temporis. Is insuper D. HERIBERTVM Agrippinensis Ecclesiæ Archiepiscopum ad extrema deductum oleo sacro secundum Apostoli IACOBI preceptum perunxit, simulq; corporis & sanguinis Dominiti Sacramentis muniuit, ac visionibus clarissimi fuit instruitus quod eadem infirmitate idem sacrissimus Pontifex

S. PANTALEONIS COLONIÆ.



sine dubio esset è corpore migratus. Obiit A. C. CLO. XLII. pridie Idus Aprilis: sepultus ad S. MARTINVM in facello D. BENEDICTI. Hunc sequutus AARON, cantum nocturnalem de B. GREGORIO Pontifice à D. Apostolico LEONE compositum has in partes ipso tradente ab Italiâ primus attulit. Moritur A. C. CLO. LII. XIV. Kal. Decembr.

RVDOLPHVS ex Abbe S. TRVDONIS huius Cenobij X. Abbas institutus est A. C. CLO. CXXI. Turbatis enim jam ante (vt ipsem in sermone de Inuentione Thebaeorum Martyrum refert) per annos aliquot Ecclesiâ & Regno sub HENRICO Imp. cuius Pater HENRICVS Leodij obiit multi Episcoporum & Abbatum, & de omni ordine & gradu Clerici & Monachi expuli à suis sedibus hac illatq; ferebantur, propter communionem Imperatoris quam vitabant, quia excommunicarunt eum D. Papa CALIXTUS II. secutus in eum sententias præcessorum suorum GELASII arg. PASCHALIS. Hac tempestate, eaq; de causâ eoq; maximè quia FRIDERICI Leodiensis Episcopi electioni & consecrationi faverent, expulsus sum & ego de Cenobio B. TRVDONIS Idus Aprilis. Feria IV. Dominicæ Resurrectionis, cùm in eo indignus præsedisset annos XII. & duos menses, & ut puto XIV. dies; suscepimusq; sum eodem anno misericorditer ab Archiepiscopo Colonensi FRIDERICO, eiusdemq; Ecclesiæ studio & Fratrum electione positus sum Abbas in Cenobio B. PANTALEONIS extra muros Cenitatis VIII. Idus Septembr. cùm jam vacasset à IV. Kal. Januarii. Eiusdem merennit Trithemius l. de Eccles. script. RVDOLPHVS Abbas S. TRVDONIS in Diœcesi Leodiensi Ord. D. P. BENEDICTI natione Theuthonicus vir in diuinis scripturis iugi exercitatione peritus, & in secularibus litteris non insimile doctus, carmine valens & prosâ, & Musicus excellens, nec minus opere quam scientia clarus scripsit viroq; stylo non spernenda Opuscula, de quibus feruntur: Contra Symoniacos libros VII. Chronica quoq; lib. I. Carmina multa. Cantus etiam in laude Sanctorum plures dulci & regulari melodia composuit.

S. PANTALEONIS COLONIAE

WOLBERO XII. Abbas creatus A. C. Cl. CXLVII. ingenio & eloquio clarus, ut pote vir in diuinis scripturis studiosissimus, & in secularibus litteris suo tempore doctissimus, scripsit sacris Virginibus *Benedictina* institutionis in Insulâ *Rheni* DEO & B. MARIE militantibus *Libros IV.* in *Canticâ Cantorum*; quibus nominis sui memoriam posteris reliquit. Obiit V. Idus Aprilis. A. C. Cl. CLXVII.

Inter Abbates huius loci, duo etiam ex illustribus Comitibus orti extiterunt; quorum primus fuit HERMANNVS Comes *Zutphania* IX. Abbas creatus A. C. Cl. LXXXII. Hic construxit Oratorium S. Crucis. cuius inscriptio est. ANNO Cl. XC. IV. INDICTI. I. IV. NONIS IVLII. HOC ORATORIUM AB HVMILI HERMANNO FVNDATVM. DEDICATVM EST. A. VEN. HERMANNO III. ARCHIEP. COLONIENSIS. QVI DIVES COGNOMINATVS EST IN HONORE S. CRVCIS. ET DVODECIM APOSTOLORVM.

Hic etiam coronam deauratam in gentis magnitudinis in medio Ecclesiæ adhuc hodie dependentem S. PANTALEONI hoc rythmo teste contulit in ipsâ coronâ exarato.

Has inter gemmas HERMANNVS fulgeat Abbas,

Hoc opus Ecclesiæ qui mirâ condidit arte.

Nam muros, portas & turres atq; plateas,

Quæ dilecta DEO gemmis ornatur & auro,

Hinc lapides viui pressura, cede politi,

Aptantur merito virtutis ordine certo :

Surgit in excelsis urbs inclita, visio pacis,

Sorte locis iusta CHRISTVS disponit in illa.

Ipsaq; pulchra fide, dunes spe, fortis amore,

Sicut sponsa viro, cœlesti iungitur agno.

Hinc stabiles muri, lapides eius preciosi,

Structura ratio loquitur præsentis & ordo:

Hæc est illa fide, quam fundavere Prophetæ :

Quæ per Apostolicas pandit sua menia gemmas.

Hierusalem structam sanctis in montibus urbem;

Hinc superaptantur vigiles ; urbemq; tueruntur.

Moritur A. C. Cl. C. XXI. anno regiminis XL.

Alter Comes fuit HERMANNVS de Kessele XX. Abbas effectus A. C. Cl. CC. XLII. mortuus Cl. CC. LV.

His viris eruditione ac pietate minimè cedit in præsentiarum viuens ac vigens Abbas HENRICVS Spichernagell, eiusdem Monasterij Abbas XLVI. & S. Unionis Bursfeldensis per Germaniam Presidens Principalis. Hic inter alia laborum & industriæ suæ monumenta A. C. Cl. I. CXX. hoc difficii rerum statu & bellicis tumultibus, postridie D. LAURENTII (qui consecrationis eiusdem erat anniversarius, & adeptæ Abbatialis Infulæ annus XIV.) teatrum Ecclesiæ jam ruinæ proximum renouauit, Ecclesiamq; ipsam interiorem testudine diu desiderata condecorauit, attestantibus hoc ipsum pro perpetuâ rei memoriâ duobus distichis in arcu Chori Ecclesiæ circumquaq; scriptis, quorum hic tenor est:

HENRICVS dictus Spichernagelius Abbas,

Ex Vbijs ortus forniciis author erat.

Hic tectum, turremq; nouam construxit in altum;

Sit merces operis vita beatas sui.

SELIGENSTADIVM.



SELIGENSTADIENSE Monasterium in Dicæcisi Moguntiâ situm, suo ære construxit ac dotauit EINHARDVS, AINARDVS seu EGINHARTVS, CAROLI Magni Imper. Cancellarius, vir scriptis editis clarissimus, qui SS. MARCELLINI & PETRI Martyrum reliquias Româ Gandanum trasferendas curauit, A. C. I. CCC. XXVII. quas etiam varijs Belgij Monasterijs communicauit; vti *Hesnoniensibus*, Monasterio S. SALVII. apud *Valentianas*, Canonicis S. SERVATII *Traiecti ad Mosam*. Fuit is primus huius Monasterij Abbas: item XV. Cœnobij S. BAVONIS *Gandensis* & IX. S. PETRI *Blandiniensis*; teste *Auberto Myrab* in *Notitiâ Ecclesiarum Belgij* t. 27. & obiit A. C. I. CCC. XLIV.

De huius Monasterij fundatore ibidem in M. SS. historia habetur, quam non neminem fabulosam judicare non sum nescius: at quoniam complures viri docti (inter quos I. Lipsius *Monit. polit. lib. 2. c. 12. n. 12.* & Jacobus Curiol. 2. *Rer. Chronol.*) eam scriptis suis inseruerunt, eam hic quoq; non excludendam esse censui.

Erat EGINHARTVS in aula CAROLO ab Epistolis vir, vt illo æuo, doctus & prudens. At quid non facit cœcus amor? in filiam Domini sui exarsit, & ipsa in eum vicissim, quid facerent? restinguunt (vt solent amantes) furtiva sui copia, & congressu: qui aliquandiu latuit, donec hyemante quadam nocte, cum in secretiore cubiculo EGINHARTVS fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam niuem cecidisse: hæret, & timet ne à vestigijs deprehendatur vir in gynæceo fuisse. Consilio & astu subuenit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus tulit. Ecce o sortem miseram; æquam tamen. Videt id forte ex superiore domus parte auram captans CAROLVS: dissimulat, donec pleno die Principum conuentus.

SELIGENSTADIVM.

Hic rem narrat, rogatq; (at nomina suppressit) quā p̄enā famulus qui sic in Dominum, & filia quā in patrem peccāset, digni ē cui illi, Mortis'. Tum vtrumq; vocat, & coram se s̄istit. En, inquit, hi sunt qui peccauerunt.

Tu EGINHARTE, tu Filia, qui hoc ausi estis: (nec negandi erat locus; Patrem ac Dominum, inspectorem, accusatorem, judicem, & vindicem habebant) quid meruistis? Mortem, inquiunt illi: at CAROLVS. Tamen mittim Patrem, tu Dominum videte. Ignoscimus lege hac quam dicam. EGINHARTE, hanc tuam latricem vxorem dices: concordes estote, & mutuum deinceps inter vos fertre. Dixerat: illi à summo metu in gaudium inexpectatum translati, grates agunt, & gratulationes futuri connubij accipiunt.

Habuit hoc Monasterium pr̄ter alios pr̄claros viros WALTHERVM, qui ex Comitum *Tubingen* prosapiā ortus, creatus Episcopus AUGUSTANUS A. C. Cl. CXXXIV. cūm XVI. annis utrissimum p̄fuisset, resignato Episcopatu anno Cl. C. L. hīc Monachi vitam elegit, ac religiosè viuens, post aliquot annos sancte ex hac vitā migravit; atq; in huius Cenobij

Templo honorificè sepultus est. Est ille, qui auxilium contulit ad constructionem nostri Abusensis in Brentianā valle Cenobij, vt infrā dicemus'.



BANTIVM vulgo Banz.



Vlcherrimum aspectu & situ Monasterium, in dextrā descendens è *Voylandia* Montanis versus *Franciam Orientalem* *Mani*, inter *Liechtenfelsum* & *Staphelstainum* oppida, dextram versus in altissimi montis vertice situm: olim insigne & nouem robustissimis turribus firmatum ac pr̄clare comunitum castrum, primū Baronum à *Banth*. tandem per matrimonij contratum Marchionum *Vohenburgensium*, qui latissime tum dominabantur ad castra videlicet *Schaunburgum* & *Sonnenburgum* vsq; item ad confinia *Herbipolensium* ac ad *Gelenhusium* vsq;. In quo castro S. CHNIGVNDIS nutrita, & à S. ALBERADE educata esse legitur: nunc verò Cenobium D. BENEDICTI, Herbipolensis Diæceseos: ideo fundatum legitur in S. DIONYSII honorem A. C. Cl. LXXI. regnante HENRICO IV. Rom. Imp. ab illustri Dominâ ALBERADE Comitissâ de *Banth*, cuius maritus HERMANNVS Marchio Voburgensis in equestribus certaminibus, hastilio sive Torneamento hodie, vt vocant, *Herbipolensi*, equestri lanceâ transfoſſus occubuerat, in cuius memoriam sempiternam in terris ex arce, maiorum suorum sede, domum orationis fecit, additis pr̄edijs plurimis inter *Banthense* caſtrum, *Sonnenburgum* & *Schaunburgum*: fluuiosq; *Ithesin* & *Mogau* ſit. D. ALBERADIS Fundatrix in Cenobij *Banthensis* primario templo sub arâ S. TRINITATIS ſepulta dicitur. Habuit hāc filios tres, HENRICVM, OTTONEM & CONRADVM, quorum nomina thuribulo inscripta reperta ſunt: quorum etiam unus in pr̄terfluentec *Menō* trocho ludens ſuper glacie perijt; filiamq; à nobili *Centauro de Razenburg* raptam ac deuirginatam, propter quam *Heydingfeldense* Monialium Cenobium ſupra *Herbipolim* in finistrâ *Mani* ſitum coniuxit & fundauit, in quo dicta filia & filius CONRADVS humati cubant.

H

Fallitur

BANTIVM vulgo *Banz*.

Fallitur autem hic *Bruschius*, qui monumentum id Alberadi soli inscribit; cùm literæ, quæ primas loci origines continent, etiam mariti nomen præferant.

Erat initio vtriusq; sexus Monasterium, quod cùm esset paulò post primam fundationem, nescio quo casu aut infortunio miserè vastatum ac colapsum: abolitâ prius & amotâ Monialium congregatione, restauratum & redintegratum est A. C. Cl. CXXVII. à S. OTTONE Comite *Andecensi* Episcopo *Bambergensium* VIII. qui *Pomeranorum* (propterea quod ipse primus eos in fide Christianâ imbuerit) appellabatur Apostolus. Is *Rapathoni* comiti cuidam *Wolfsenack* Cænobij prius non admodum fideli aduocato tamdiu institit, donec ex eo vicissim extorqueret quidquid bonorum & prædiorum ante is per vim Cænobia abstraxerat: imò ut de suis proprijs etiam aliquid jam ad recompensationem delicti huius sui adderet. Abbatia etiam præfecit BALDVIVM ex *Prifelingensi* propè *Ratisbonam* Cænobia euocato. Temploq; dedi cauit S. PETRO Apostolo, & S. DIONYSIO Martyri.

A. C. Cl. I. V. istud Cænobium penitus conflagravit incendio domi nato; quod cùm IOANNES *Sagittarius* Abbas medioeriter instaurasset, venerunt A. C. Cl. I. XXV. seditionis *Ostrofrancorum* agricolæ, idemq; funditus penè denuò deuastarunt. Id satis magnificè reædificauit ALFAXANDER *Rotenhan* Abbas; instituitq; in eo insignem scholam tam pro nobilibus adolescentibus, quam pauperibus quoq; pueris. Construxit & Bibliothecam ad quam per XXX. saxeos gradus ascenditur, è quibus amænissimus est prospectus in *Menum*, & in vicina oppida *Staffelstainum*, ac *Liechtenfelsum*; in ipsam item *Aldenburgensem* arcem *Bambergæ* confinem, in quâ PHILIPPVS Imp. interemptus est.


Idem multis ædificijs illustravit vir doctus ac Religiosus D. THOMAS Abbas; qui & idæam æri incidentam ad me misit, eiique hos versus subiunxit.

Anno, mille supra, post CHRISTVM è Virgine natum.
Et sexaginta, nona, cum Coniuge Claustrum hoc
Marchio de Vohburg HERMANNVS nobile fundat.
Post Romæ VRBANO cùm octauo sceptra dedit.
Bambergæ Dornhaim: atq; PHILIPPVS ADOLPHVS ab Ernberg.
Franconiam regeret, compesceret en se Bohemos.
Inuictus Cesar FERDINANDVS in orbe secundus.
Deniq; cum THOMAS viginti quinq; per annos
Abbas rexisset, Claustri ista forma videtur.

Idem Abbas faciebat.



M I N S T E R.



HAUD longè à muris urbis *Luceburgensis*, in iugo montis, inter ruinas castri veteris *Luceburgensis*, & castri *Mansfeldici*, à Petro Ernesto *Mansfeldio*, A. C. Cl. I. XC. exstructi, celebre olim exstitit Cænobiū, BB. Apostolis PETRO & PAULO primus dicatum, post DEIPARÆ Virginis cognomento donatum, quod ob excellentiam præ ceteris eius tractus Cænobij vulgo *Münster* est nuncupatum. Istud A. C. Cl. LXXXIII. à CONRADOComite *Luceburgensi*, cui vxor fuit CLEMENTIA, HENRICI IV. Imp. filia, conditum esse, constat ex sequentibus.

CONRADVS Comes licet sero, inspiratione diuine gratie ad pænitentiam prouocatus, Eleemosynis & ceteris pietatis operibus peccata mea redimere statui. Capi itaq; in monte hoc, ubi nullus parentum meorum prius adorauit Dominum nostrum, domum Domini in honore & veneratione Apostolorum Principis, à fundamentis construere. Quæ omnia ut magis rata essent, acta sunt annuente uxore mea CLEMENTIA, cum filiis & filiabus nostris, in præsencia Domini Metensis Episcopi HERMANNI, Anno Cl. LXXXIII. pridie Non. Iulij. Ego VII. HELMVS Comes de Lucelemburg, cupiens imitari patrem meum CONRADVM Comitem, & perficere quod ipse incipit. Huius confirmationis & supradictæ constitutionis chartam, ego & filius meus CONRADVS super Altare ipsius Cænobij posuimus.

Porrò CONRADVS prædictus, qui *Münsterensem* Abbatiam condidit, in itinere Hierosolymitano A. C. Cl. LXXXVI. obiit. Vxor ipsi fuit, vt diximus, CLEMENTIA: ex quâ nati ADELERO, GVILIELMVS, HENRICVS, CONRADVS, & RODOLPHVS, Ioanni Bertilio FOLMARVS Abbas I. *Münsterensis*. Ex his ADELBERO Archidiaconus Metensis, cum GODEFRIDO Bullonio ad bellum sacrum profectus in obsidione Antiochia A. C. Cl. perijt. Henricus de *Luceburg* nominatur in diplomate S. AGERICI

M I N S T E R.

RICI Virdunensi, Anno c. 10. LXXXIX. dato. CONRADO defuncto GVI-LIELMVS filius, qui MACHTILDEM FREDERICI Sueviae Ducis filiam duxerat, & GVILIELMO Patri CONRADVS II. in Comitatu Luxenburgenſ successit; vterq; in Münsterensi Canobio conditus. CONRADVS II. ex ELISABETHA, GODEFRIDI Comitis Namurensis filia, liberos reliquise putatur, HENRICVM Leodicensem Episcopum, & GERTRVDEM CONRADI Comitis Vadimontani coniugem.

Bellis porro sacerdibus inter CAROLVM V. Imp. & FRANCISCVM I. Gallia Regem, Munsterense cænobium, à nostris hominibus, ne Gallis hostibus domicilium præberet, incendio absumptum est. Estq; id temporis in se-pulchro fundatoris inuenta tabula plumbea, cuius hanc fuisse inscriptio-nem testatur Gaspar Bruschi in Chronologîa Monasteriorum Germaniæ.

In nomine sancte & indiuidue TRINITATIS quiescit hic Comes CONRADVS. Hic cum inter seculi principes famâ probitatis esse celeberrimus, sepulchrum vite Principis adiit amore diuino succensus, indeq; rediens, diuinâ vocante clementiâ, obiit peregrinus, se-pultus in terra decenter, non sua: indeq; anno dormitionis sua secundo sublatus, anno quartu, ipso die annua migrationis sua de seculo, hic fuit repositus, praesente coniuge suâ CLEMEN-TIA, per manus filiorum suorum, ADELBERONIS Primicerij Metensis, HENRICI Comitis, CONRAD' QVE Comitis præsente RODOLPHO Abate, filio Comitis, quem ipse pronisorem & ordinatorem huius loci statuerat. Facta sunt hac regnante, permisso DEI HENRICO Tyranno damnato, ac pia memoria GREGORIO Pontifice Romano. Obiit autem VI. Idus Auguſti, anno Dominica incarnationis millesimo octogesimo sexto.

Ceterum CAROLVS V. Imp. monachis Munsterensibus Xenodochium pauperum, basilicæ S. IOANNIS Baptiste contiguum, atq; in ipsâ vrbe Lu-ceburgensi situm, cænobio novo excitando, postmodum donauit, quod hodie ædificijs ac disciplinâ monasticâ est illustre. Plura qui volet, IOAN-

NEM Bertelium, in historiâ Luceburgensi consulat.



E T T A L.



TAL ob solitarium intra montos anfractus locum, & mira-culosam DEIPARÆ V. MARIAE Imaginem religiosissi-mum pariter, & celebratissimum Monasterium, cuius origo ex Archiuis eiusdem loci descripta, talis extitisse fertur.. Imperator LVDOVICVS I V. cum propter nimias im-pensas, quas in Italia fecerat, ita vt ei jam necessarij sumptus pro reditu in Germaniam deficerent, admodum sollicitus esset, venienti qua-dam die ad fesc Monacho, & spem facienti, illum ex his malis emersurum, eâ conditione, si postquam in Germaniam redijset, Monasterium in loco suæ ditionis, quod dicatur Ampherang, in honorem DEI & beatissimæ Virginis MARIAE extrueret, fidem dedit, se illud sedulò executurum, & Cænobium in prædicto loco sibi tunc ignoto condituru.. Quamobrem illico à quodam Regulo Italia, quem una cum ditione suâ libertatis jure donauit, magnam pecuniæ vim accepit; ita vt oppignorata omnia redimere posset. In Germaniam itaque reuersus, in Partenkirchen à quodam suo venatore Magi-fistro, Henrico Vend nomine, exceptus est, ex quo de loco illo Ampherang quæsi-uit; Cumq; ille in viciniâ jam esse diceret, eoq; Imperatorem deduceret, jussit Imperator illic ligneam domunculam pro venatore ædificare, siluam-que inibi, olim latronum receptaculum, extirpari, & ita Monasterium, quod promiserat, erigi in honorem B. MARIAE Virginis, posuitq; primum lapi-dem, simul quoque offerens effigiem B. MARIAE Virginis ex alabastro fa-tam, quam illi Monachus in Italia dederat, quæ usq; hodie adhuc ibi ostenditur, in die S. Vitalis Martyris. Anno M. CCC. XXX. Instituitq; Abbatiam S. BENEDICTI pro XX. Monachis, quorum XIV. Sacerdotes esse de-berent. Primus Abbas ex Monasterio Reichenbach huc positus, nomine FRI-DERICVS Henrichreuter, post cuius obitum Priorem in Nidernaltsich, no-

E T A L.

mine EBERHARDVM, Abbatem huius loci fecit. Posuerat eodem loco tredecim Equites auratos emeritos; quorum unus Magister ac superior esset, vna cum conjugibus eorum, ac aliquot viduis, quibus æquè ac Sacerdotibus omnia ad vitæ sustentationem necessaria præberi ordinavit, atque hoc Cænobium vocavit E T A L. Durauit hæc constitutio usque ad obitum Imperatoris; postea filii ipsius bona illa & redditus ad se rapiebant, ita ut oportuerit illos milites hinc alio migrare.

Porrò LVDOVICVS Imperator dedit huic Monasterio Comitatum Möringen, cùm omnibus attinentijs suis, Aduocatiam in Lauterpach, in Hademaringen, XXI V. librarum Monacensum, comitatum in Pitengau, cum omnibus attinentijs, & cum Aduocatiâ Raitenbuech & Staingaden Aduocatiam in Hébach; ablata post per filios LVDOVICI & alienata. Anno M. CCC. XXXII. Imp. LVDOVICVS emit in ipso die S. VITI ab VL RIC Ode Schoneck, Episcopo Augustensi, Praeposito, Decano, totoq; Capitulo castrum ESCHELOCH & forum MVRNAV, cum omnibus attinentijs suis, cum Ecclesijs ESCHELOCH, STAFFLSEE, HVGELFINGEN, quæ omnia huic Monasterio dedit, Anno M. CCC. LVIII.


Insuper Ecclesias LAVGINGEN, GVNDELFINGEN, ambas MÖRINGEN, MENCHINGEN, EGLINGEN, ANDORF, STAFFELSEE, & ESCHENLOCH, diaœcis AVGUSTENSIS, incorporari, donari, nec non vniri procurauit, accedente consensu HENRICI Episcopi & Capituli AVGUSTANI, vt patet ex literis, datis Anno M. CCC. XL I. Eadem incorporationem postea confirmauit EVGENIVS IV. P. M. Anno M. CD. XXXVI.

Ipsum verò Monasterium confirmatum est ab VRBANO V. Pont. Max. sub Abate CONRADO Kumersprucker, qui hanc confirmationem ipse Româ reportauit, Anno M. CCC. LXIII. Non. Maij, Dominicâ post inuentionem S. Crucis, præsentibus illustrissimis Principibus D. Stephano, Duce Bavariae, Seniore, cum coniugesuâ Margaretha, nec non filijs suis, Stephano, Friderico & Ioanne, cum conjugibus eorundem. Ecclesia hæc, quam prædicti Principes largis suis muneribus prosecuti sunt, in honorem beatæ MARIAE Virginis solenniter dedicata est à venerabili in CHRISTOD. PAVLO, Fisingensi Episcopo, ad cuius Diaœsim pertinet, sub VRBANO V. Pont. Max. & CAROLO IV. Interfuerunt præter supradictas personas CONRADVS Abbas in Tegernsee, STEPHANVS Abbas in Eberßberg, CONRADVS Kumersprucker, Abbas in ETAL, VL RIC VS Praepositus & Archidiaconus in Raitenbuch, CONRADVS Praepositus in Pollingen, VL RIC VS Praepositus in Schefflern, VL RIC VS Praepositus in Beulberg, CONRADVS Praepositus in Schlechdorff, & quinque Canonici Fisingenses, &c. cum alijs.

Idem CONRADVS Abbas à BONIFACIO IX. P. M. impetravit facultatem, vtendi mitrâ, baculo pastorali, sandalijs & alijs Pontificalibus insignijs, Anno M. CCC. XXCIX.

ABBATVM huius lociseries habetur in Metropoli Salisburgensi Hunga per Genoldum auðâ.

AHVSIVM BRENTIANVM.



HVSIVM (hodie corruptâ voce, ANHVSIVM dictum, quo nomine aliud nostri Ordinis Cænobium ad Vvernicum amicem in Rhiesâ fundatum est A. C. c. I. LVIII. ab ERNESTO. Altentrüdingensi Comite, eiusq; sororio HARTMANNO, Barone de Lodenburg) in valle Brentianâ amenissimo Suevia traqu, ad amnem Brentium, qui ad Regij Fontis Cænobium exoriens ob sapidorum piscium præstantiam inter cæteros huius Regionis amnes facile primas tenet, & nunquam etiam gelidissimâ hyeme congelatur, atq; non procul Gundelfingâ Danubio miscetur. Situm est in Diaœci Augustanâ, milliaria ferè quatuor à potenti Suevia civitate Ulmâ distans, quinq; verò à Gamundiâ & Nordlingâ, à Giengâ, uno Lauingâ tribus.

Fundatum legitur circa A. C. c. I. CXXV. in honorem S. MARTINI Episcopi, à MANEGOLDO Comite Palatino Tubingensi, eiusq; filijs WALTHERO (postmodum Episcopo Augustano) atq; MANEGOLDO, ADALBERTO, & VL RICO, Comitibus. Inchoatum autem primò erat in pago LANGENAW. qui duobus milliaribus ab Ulmâ distat, & eiusdem Magistrati hodie paret, duo Templa, longè inter se distantia, intra se habens. Huius Pagi Parochiâ decimisq; Fundatores primi Abbatem munifice donarunt. Translatum verò est à primi Fundatoris MANEGOLDI filijs, auctoritate potissimum WALTHERI jam Episcopi Augustani in vallem Brentianam; quod maior ibi lignorum & aquæ copia, vberitasq; esset: imò (vt ipse in litteris fundationis testatur) maioris quietis & à populorum concursu securitatis gratiâ.

Eam translationem EVGENIVS III. approbavit A. C. c. I. CXLIX. III. Kal. Febr. Fundationem HONORIVS II. A. C. c. I. CXXV. V. Kal. Decembr. & INNOCENTIVS II. confirmarunt.

A H V S I V M B R E N T I A N V M.

INNOCENTII Successor CÆLESTINVS itidem II. Priuilegium dedit A. C. M. C. XLIII. VI. Kal. Dec.

GREGORIUS IX. Papa sub protectionem suam suscipit Monasterij AHVSEN bona, specialiter autem Ecclesiam in Nauu, A. C. M. CC. XXXIV. XVIII. Martij. Omnia ista Priuilegia cum literis Fundatoris extant in libro de Monasterijs Württembergie impresso Tubinga A. C. M. I. C. XXXVI.

Monasterij Priuilegia postea confirmarunt GREGORIUS X. datis litteris Lugduni X. Cal. Nou. Pont. Anno III. & MARTINVS V. Constantie XVI. Cal. Febr. Pont. Anno I. Idem incorporauit Monasterio Parochiam in Gussenstadt Non. Maij, Pontificatus Anno IV. Porro anno c. I. CC. XXXI. à SIBOTHONE Episcopo Augustano collata est Parochialis Ecclesia Heldefingenis cum omnibus Decimis, redditibus, & pertinentijs; ne Cenobium tunc ad extremam inopiam redactum interiret. Eam donationem GREGORIUS IX. confirmauit Perusij V. Cal. Octob. Pontif. anno VIII. Idem Pontifex litteris datis Laterani VII. Idus Iulij. Pontificatus anno XV. mandauit Præpositis in Herbertingen & Stainham, ut controversiam exortam de confinibus inter Abbatem Abusano & Abbatem de Camberg & Comites Helfensteinios componerent. Rursus aliâ gliscente dissensione inter Comites Helfensteinios VLRICOS patrem & filium & Abbatem Abusano GREGORIUS X. litteris datis Lugduni X. Kal. Nou. Pont. an. III. Abbatii Haidenhaimensi mandat, ut pacem concordiamq; inter eos reformaret. Mandauit idem ut Monasterio bona varie ablata restituantur. A. C. c. I. CC. LXXXII. N. Apa Comes de Vaimingen hortum & pratum in Gundelfingen legauit Abbatii HARTMANNO. Cum postmodum nescio quâ de caussâ controversia inter Abbatem & Conuentum exorta latius pullulare videretur, & quærelæ Romam vsque delatae fuissent, HONORIUS IV. P. M. Abbatibus in Lorch & Blaubeyrn litteris datis Tibure VIII. Id. Iulij Pontif. anno I. id est. M. CC. LXXXVI. demandauit, ut eam componerent.

Deinde A. C. M. CCXCI. Sifridus Morhardus, eiusq; vxor Wibba, duobus agri jugeribus donauerunt Abbatem WALTHERVM, sitis in Lenhenbüsel in Nauue. Eodem anno NICOLA VSIV. indulxit ut tempore interdicti Missæ celebrari possint in dicto Monasterio. Datum Roma apud S. MARIAM Maiorem XII. Cal. April. Pontif. anno III. Idem mandauit Abbatii Blauburense, ut procuraret bona Monasterij Abusani varijs casibus abalienata redimi &c. Quod Idem decreuerunt posteris annis IOANNES XXII. Auenione datis litteris pridie Nonas Martij Pontif. anno X. mandans Abbatii Blauburense ut oppignerationem bonorum Monasterij Abusani annihilaret: & BENEDICTVS XII. qui dato diplomate itidem Auenione VIII. Idus Iulij, Anno II. Pontif. rescrispsit ad Abbatem Kambergensem, ut omnibus modis procuraret reductionem bonorum oppigneratorum ad Monasterium Abusano.

A. C. c. I. CC. XI. VI. Nonas Iulij. Ludonicus Comes de Oetingen ius præbenda alicuius in Döttingen & Heuchlingen cum Hubâ adiunctâ dono dedit Abbatii Abusano. Eodem anno confirmata est hæc donatio à FRIDERICO Episcopo Augustano XVII. Decemb. Augusta. Sequenti anno c. I. CCC. XII. VI. Kal. Maij idem Episcopus licentiam dedit Abbatii Abusano, ut aliquis Conuentualium vices Parochi in Döttingen subire possit; & redditus Parochie in usus Monasterij conuertat & transferat, quo melius sustentari possint. A. C. c. I. CCC. XX. X. Nou. FRIDERICVS Abbas & Conuentus in Lorch vendiderunt Abbatii & Conuentui Abusano, omnia sua iura, decimas, redditus, hubas, molendinum, piscinam, ius Patronatus Parochiæ cum omnibus suis pertinentijs in Bolheim pro CD. libris Halensis. Ab eodem Abbatie consecutus est CONRADVS Abbas Abusanius Patronatus in vicinâ villâ Döttingen; quo item anno (nempe c. I. CCCXXVII. XII. Martij) permutteratio facta est bonorum in Döttingen & Altdorf inter Monasteria Lorch & Abusen.

Posthac

A H V S I V M B R E N T I A N V M.

Posthac A. C. c. I. CCC. XXXI. XII. Idus Martij, FRIDERICVS Episcopus Augustanus, dedit das Gartengelt in Nauue, & redditum villa, genannt der Münchhoff von Stainham in villa Erstetten. Ulricus Nagengast vendidit Abbatii Abusano pratum ad Brentum & agellum in Haufraig pro tribus libris Hallensis XI. Iunij A. C. c. I. CCC. XXXVI. Conradus Schnapper legauit eidem Monasterio sua bona in Nauue, Altheim, & Berthlingen XVII. Augusti A. C. L. CCC. XXXVI. CAROLVS IV. Imp. Capellam S. CRVCIS in Vilmeni ciuitate & foro vinario sitam: cum omnibus pertinentijs dedit Abbatii Abusano A. C. M. CCC. LIII. XI. Cal. Octobr. consentientibus Electoribus Imperij, è quibus speciales litteras dederunt eodem anno XXV. Nouembris. Moguntinus, Colonensis, ac Rupertus C. Palatinus Rheni Elector. Eandem donationem postea confirmauit RUPERTVS Rom. Imp. A. C. c. I. CD. I.

ANSELMVS Episcopus Augustanus (qui praesesse cœpit A. C. M. CD. XI.) ad Capellam S. NICOLAI extra muros Monasterij sitam XL. dies Indulgentiarum dedit. FRANCISCVS & MARCVS Cardinales C. dies Indulgentiarum contulerunt. Festum Dedicationis eiusdem Capella de festo omnium SS. in commodius tempus, nempe in fer. III. post Dom. Misericordia Domini, translatum est A. C. M. CD. IV. Demùm A. C. M. CD. LXXI. XVIII. Cal. Octobr. Decimæ in Falkenstein, Rödern, Rottfelden, Iungholz, Berg, Myßenbrunn, Sysenbrunn Monasterio Abusano incorporata sunt, FRANCISCO Cardinale S. EVSTACHII Ratisbone residente eandem incorporationem confirmante. Circa hæc temporis eodem Monasterio floruit vir doctus LEONARDVS Monachus, qui carmine celebravit laudes HENRICI Fabri Abbatis Blauburense, A. C. M. CD. XC.

Cenobij res valde teñues & afflictæ erant ab anno M. CD. XLVIII. vsq; ad M. D. quippe combusti, Ciuitatibus Imperij, & Nobilitate bellum inter segerentibus. Quod tamen magna ex parte à cineribus præclarè instaurauit IACOBVS Abbas. Eius quoque Successor IOANNES Cenobij rem augens, idem varijs substructionibus exornauit. Iterum grauissima damna perpeccum est in seditione rusticorum A. C. M. I. XXV. donec decennio post religione ab VLRICO Württembergensium Duce mutata eieclis Abbatie & Monachis, (qui etiam omni suo juri quod habebant ad Monasterium, in scriptis renunciare compulsi sunt) penitus desolaretur, vsque ad A. C. M. I. XLVIII. quo ONPHRIVS Schaduzius (huius primum loci professus, sed postmodum A. C. M. I. XXXVI. quod Fidem Catholicam, & professionem monasticam deserere nollet, eieclus: Augusta Vindel, in Monasterio SS. VDALRICI & AFRÆ stabilitatem promittens) mense Ianuario Abbas constitutus est. Verum A. C. M. DLVIII. eodem mortuo, & Luteranismo iterum introducto Pseudo-abbates vxorati extitere, vsq; ad A. C. M. DC. XXX. quo edicto Cæs. FERDINANDI II. Monasterium V. Septemb. restitutum est, eleclio Abbatem CAROLO Stengelio prædicti Monasterij SS. VDALRICI & AFRÆ professo & Oecono, XVI. Decemb. atque XXIX. Eiusdem mensis die, qui erat Dominica infra octauam Nativitatis CHRISTI, Dilinge in Templo Academic P. P. Societatis Iesu, solenniter consecrato à Rmo. & Illustrissimo Principe ac Domino D. HENRICO Episcopo Augustano; assistentibus eidem Rmo. D. GEORGIO Episcopo Philadelphiense, & Suffraganeo Eystettense & D. SILVANO Abbate in Fultenbach. Qui deinde in bello Germanico sub persecutione Sueciæ exul factus XXVI. Februario M. I. CX. XXII. tribus mensibus & tribus hebdomadibus Schwaz in Tiroli delituit: inde Salzburgensi ad D. PETRI, æquè tanto tempore commoratus est. Denique in Austria superiore & celeberrimo Chremiphaniensi Monasterio per duos integrlos annos & semestre tempus valde honorifice & liberaliter habitus, A. C. M. I. C. XXXV. XIV. Augusti rediit ad Monasterium, quod omnino ferè

K

desolatum

A H V S I V M B R E N T I A N V M.

desolatum inuenit: ita ut nulla penitus integra Janua, ne porta Monasterij quidem infracta permanerit, nullæ fenestræ aut serræ, ut de supelle & tile taceam, quæ penitus nulla nec sacra nec profana remansit. Nihilominus in maximâ rerum omnium penuriâ, pro viribus loca magis necessaria instaurare, diuina officia conuentualiter quotidie celebrare non cessat: donec aliquando Deo largiente maiora opera moliri



CATA-

CATALOGVS ABBATVM A HVSII
B R E N T I A N I.

Nu- mér.	Nomina.	Eleç. Anni.	Añi regi.	Obitus ² . Anni	Dies.
1	Sigefridus ³ .	1143			
2	Vdalricus ³ .	1181			
3	Degenhardus ³ .	1231			
4	Hartmannus,	1282			
5	Waltherus.	1291			
6	Conradus ³ .	1305			
7	Henricus de Werdæ.	1336			
8	Henricus de Gadelbach.	1353			
9	Georgius de Sundtheim.	1373			
10	Iacobus I.	1390			
11	Nicolaus.	1410		1446	
12	Georgius II. de Sundtheim.	1450			
13	Martinus.	1468		1487	2. Iunij.
14	Vlricus II.	1474			
15	Iacobus Pfeffer.	1478	23	1501	23. Aprilis.
16	Ioannes Weidenkranz.	1503	16	1517	
17	Ioannes Mannius II.	1517	5	1522	25. Aprilis.
18	Ioannes Agricola III. Vacavit XII. Annis.	1522	14		
19	Onophrius Schaduz.	1548	10	1558	11. Septemb.

Posthac caruit Monasterium legittimis pastoribus, subintroductis Luteranis Pseudo Abbatibus uxoratis; donec editio Casaris FERDINANDI II. Catholicis restitueretur.

20 Carolus Stengelius³.

E I N I Z



INDEX MONASTERIORVM.

A V S T R I A E.

I. CHREMIPHANIVM.	An. 777.
2. MELICVM.	1028.
3. GOTTWICVM.	1072.
4. GARSTEN.	1082.
5. SEYDENSTETEN.	1107.
6. GLVNIK.	1123.

LAMBACENSE & MANSEEENSE extant in primâ parte.

I N G E R M A N I A.

SUPERIORE ET INFERIORE.

I. S. PETRI ERPHORDIÆ.	707.
II. SELIGENSTADIUM.	826.
III. S. PANTALEONIS COLONIÆ.	865.
IV. BANTHVM.	1071.
V. MINSTER LVXEMBVRGI.	1083.
VI. ETAL.	1330.
VII. AHVSIVM BRENTIANVM.	1125.

F I N I S.